F. PROSPERI STELLARTI AUGUSTINOMACHIA: ID EST, PROS...

Prosper Stellart



F. Prosperi Stellarti

AVGVSTINO-MACHIA:

Id est,

PRO

S. AVGVSTINO,

ET

AVGVSTINIANIS,

VINDECIÆ TVTELARES:

IN

LIBROS II.

DISSERTATIONVM

DISCRETÆ.

S. Andrea della Valle.



LVGDVNI,

Apud IACOBVM ROVSSIN.

M. D. CXIII.

ILL.MO ET REV.MO
ANTISTITI
DIONYSIO
SIMONI
DE
MARQVEMONT,
GALLIARVM
PRIMATI,
LVGDVNENSI
ARCHIEPISCOPO,
ET
COMITI,

F. PROSPER STELLARTIVS
E. S. A.
FERO ET OFFERO.



INGENII nostri tenellum & adhuc in cunis vagientem Fœtum tibi ferimus, ILLVSTRISSIME, REVERENDISSIME: imò nec ferimus, qui suâ sponte ad Magnitudinem tuam viam adfectabat Patronum cernuè rogaturus. Audaculè, fateor; cùm magna magnis deferri solitum & solemne. Equidem, diu mul

multumq́; ambiguâ vacillantis animi trutinâ dubius hæſitaui, accedere an recedere cautiùs. Propenſum impulit vir magnus, ſi magnis comparetur; illum bonum, illum bonis omnibus Reuerendiſſimum PETRVM VILLARIVM Viennenſem pronuper Archiepiſcopum intellego. Cui cùm propoſiti mei cenſum liberè ac verè expectoraſſem; audito DIONYSI nomine, hilaro vultu, capite cœpit adnuere; & iniectâ

mihi manu, *Perge*, dixit, *Fili, perge, ego consulo.* Caliginosæ dubietatis nubeculam detersit omnẽ: quiq́; pręclarissimi Baronij pedibus *Lucerna* (heu cur extincta!) mihi talis extitit ad tuam, ILLVSTRISSIME, Pharum pergenti. Accedo itaque tanti Viri auctoritate impellente, sed magis humanitate tuâ appellante. Accedo, inquam; & tenellũ, quem dixi, Fœtum pro communi celeberrimarũ Religionum Parente noua

quæ

quædam modeſtè - audenter dicturum, ad publicum Lugdunéſis Eccleſiæ & Patriæ Patrem, dextrâ duco. Tutorem huic Pupillo ſelectiorem alium reperire nó valui, certè nec volui quærere: nec debui, ſeu Amplitudinem tuam ſpecto, ſeu Opelli paruitatem: Hoc ipſo tuæ Magnitudini debitum quia paruum: & eâdé penè indignum, ſi magnum. Fallor ? vt ea quæ apud Deum funduntur verba, laconica numero eſſe debent, ſic

quæ apud Reges, Dynaſtas, Primateſq́; ſupremi Regis Vicarios. Iam Materia qualis? Patrocināte te cōgruentiſſima. Pontifex nempe, Pontifici; Lipſius. * *Antiſtes Antiſtitum*, Galliæ Primati videndus & audiendus fuerat; AVGVSTINVS DIONYSIO, id eſt, Viro qui nomine reíque omine cum Sancto DIONYSIO Galliarum Archiepiſcopo primo & primario certans, mores ita reſq́ue conformat nomini & Patrono, vt in illo ſanctū

DIO

DIONYSIVM renatum cogitet qui propiùs intuetur. Apage te μετεμψύχωσις. Pythagoram ab institis haud ſuſcito: DIONYSIVM tamen in DIONYSIO adſpicimus & ſuſpicimus omnes: non vt antehac in Athenarum Areopago Iudicem, ſed in Romanâ Rotâ Auditorem: Non quem PAVLVS Gẽtium Doctor Lutetiam Pariſiorum Archiepiſcopum legauit; ſed quem PAVLVS tamen Fidelium omnium Rector, Lugdunẽſium Ar-


chiepiſcopum, eúmque Pariſiēſem ſelegit. Deus bone; vt inter hæc nomina magna fax exurgit! Opelli tibi conſecrati, REVER.ME cauſſas aliquot exprimo, ſilentio cæteras, quas mirari quã rimari faciliùs. Itaque *Stirpem*, *Eruditionem*, *Dignitatem* tuam canant è vulgo alij: ego vnicam illã in Honoris faſtigio raram & amabilem *Comitatem*; quâ quidem, conſcientiâ ſaluâ, ſic omnibus præberis probariſque, vt Elogiũ hoc verè

ſub

ſubſignem , Neminem fuiſſe, quem Lugdunenſis Eccleſia magis reuerita ſit, minùs verita. Exēplum tu Poſteris dediſti, PRIMATVM MAGNE: Vt diu pergas, priuatim vouent omnes, ego, per hunc Libellum, publicè. Felicem Libellum! ſi in manus admittis: Felicem me! ſi in animum. Lugduni, ſept. Idus Auguſti. ∞ Iↄ CXIII.



LECTORI MEO S. P. D.



CCAM *tibi* AVGVSTINOMACHIAM *damus: id est, suscepti pro* AVGVSTINO *Belli Arbitrum te facimus. Nec malè ominare: hoc Bellum, Bellum minimè, quia bellum maximè plenéque amicum: in quo pro acinace, calami stilus sine vulnere furit, sine sanguine ferit. Incruentum pulnerem Circi Palladici concito, Musásque in Amphitheatrum produco,* AVGVSTINI *caussâ, bellè bellaturas, mihi fortè meísque Victoriam relaturas. Quid ad me (inquies) adtinet? spectent id Monachi.*

chi. Bona verba, Lector beniuole; erit hîc quoque quod oculis tuis fiat satis. Eò namque intentionis aciem direxi, vt, pro meo modulo, docens delectarem: certè noua dicerem, & Scriptorum antehac obuoluta silentio, proferrem in publicum. Cui non innotuit S. AVRELIVS AVGVSTINVS? *Conuersiones tamen eius, institutíque conuersationes haud nouerunt imperiti, dißimulant impij. Ambos vellicamus; vt serio hocce scripto inuitati credant illi, hi etiam fateantur inuiti. Vulgatas ergo & vulgares opiniones explodere fert animus: nec scio an explodendus ipse, qui tam liberè noua ingeram, & Magnos plerumque viros lacessam, quia de meo* PATRE, *malè, parúmque paternè senserint. Pietatem hîc Nati nullus non videat; qui*

nouus

nouus Aeneas Anchiſem meum per medios hoſtes feram. O onus! ô honor! hunc habeam! illud obeam!

Ergo age, chare PATER, ceruici imponere noſtræ:
Ipſe ſubibo humeris, nec me labor iſte grauabit:
Quò res cumque cadent, vnum & commune periclum,
Vna ſalus ambobus erit.

Et quid ni ex eodem Authore addam?

——Mihi paruus Iulus
Sit comes,


FRATRES, *inquam, quorum tutelam imitùs & animitùs, non ſine æmulis, adgredior.*

Cæterùm, næuum omnem dicámque effugi, ſi modò tam candidè omnia in mentem admittant Cenſores, quàm ſimpliciter à me ſcripta ſunt: Vbi ſi quid excidit, verè excidit,

dit, & olim reuocatum velim. Sed licere ſemper exiſtimaui, ſcribentem ſuo ſenſui quiddam modeſtè dare, aliis cùm pluria arrogarit. Senecæ itaque illud liberè vſurpem : in hoc Opuſculo Non me cuiquã mancipaui. Nullius nomen fero. Multum magnorum virorum iudicio tribuo, aliquid & meo vindico. *Quod ſi extra decori limites, impreſſus in vnam rem calor ſtilum aut mentem ſeduxiſſet; ſit venia, Bone Lector, ſine quâ nullum vnquam placuit ingenium. Nam & homo ſum, fateor, & adhuc iuuenis; potui labi, parcere potes; placebo, ſi emendare permittis. Tu interim, qui mihi habitu* FRATER *es, animo talis eſto. ſaue: Et quam nemo homo, quod ſciam, vulgauit Materiam, fraternè amplectere, quia tibi & ad te ſcriptam.*

ſcriptam. Non illam R. Gonzales de Critana dedit, non alij. Pro indicio & ſtudio, gratias & preces (quàm indigeo!) lubens dabis: certè debebis, qui meo fortè incommodo tuum tibi adpararim & compararim commodum.

AVE ET FAVE.



APPROBATIO DOCTORVM.

NOs subsignati in almâ Parisiensi Academiâ Doctores Theologi, fidem facimus perlegisse sedulò & in solidum, Tractatum Patris *F. Prosperi Stellartij*, cui nomen, *Augustinomachia : id est, Pro D. Augustino & Augustinianis Vindeciæ tutelares, in Libros II. Dissertationum discretæ*) in quo nihil notauimus Fidei orthodoxæ non consentaneum, sed multâ Eruditione, Pietate, ac Vtilitate condìtum. Iudicauimus propterea dignissimum, qui Typis mandetur, vt in omnium manus perueniat. In cuius rei signum hanc Approbationem singraphis nostris manualibus muniuimus. Lugduni, die IX. Febr. Anno M. DC XIII.

F. ROBERTVS BERTHELOT *Episcopus Damasci.*

F. AMEDEVS BESSON *Augustinianus, in Conuentu vrbis præfatæ Prior, & Vicarius Prouincialis.*

CENSORIS.

NOs Vicarius Generalis Illustrissimi & Reuerēdissimi DD. DIONYSII SIMONIS DE MARQVEMONT, Archiepiscopi & Comitis Lugdunensis, Galliarum Primatis Substitutus: Visis Doctorum attestationibus, vt præsens Opus nomine *F. Prosperi Stellartij* AVGVSTINOMACHIA, Typis mandetur, concedimus. Lugduni vltimo Kal. Aprilis, Anno à Partu Virgineo ∞ IↃ CXIII.

DV SOLEIL.

NOstrâ auctoritate sancimus, ne quis præter Iacobum Roussin Bibliopolam Lugdunensem hunc librum imprimat, sub mulctâ ordinariâ. Datum Lugduni septima Augusti, anni 1613


SEVE, *Locum-tenens Gener.*

HON.DO PATRI FR.
PROSPERO STELLARTIO,
ORD. S. AVGVST.

ACCINEBAT.

TRoianum Vatem sibi terna asciscere Ciuem
Oppida tentabant; huius an huius erat.
Mille AVGVSTINVM *poterāt adscribere Patrem:*
Et qui non poterat, fingere doctus erat.
Velabant alij Tunicis, Linoq́ parentem,
His Stola findebat, Vittáque sumpta Togam.
Discordes Zonam & concordi voce Cucullum
Corripit hic natis, diripit ille Patri.
Omnia erant tenebræ, Cœlo cùm nata benigno,
Quæ latuêre diu Prospera Stella aperit.
Desine nunc oculis nubeis diffundere: pergin'
Zoile? quisquis eris, tu malè sanus eris.

F. BENED. LE GROS Augustinianus
S. T. Baccal.




MVSA VIETA

IN ZOILVM
comicè & amicè
canit

PITPIT *bruppentim tollutando pelleges,*
Zoile, pipellum mordicùs ne mordica.
Audibis îbis quæ nouata fortean
Casmena finxit. Grata ocellis si fuat,
Mamurre mente gratiosas gratias
Gratare Scripto, nec dapindes cruccium
Mis dimidiato. sanna si flixit, apage:
Tinnire vasom bombè cùm vacuom, assolet.

F. DONATVS IOYS, Belga,
Frater Fratri.



PRO OPERIS CONTEXTV,

AVGVSTINVS LOQVITVR.

TAGASTVM *genuit, Cartago exercuit; & me*
Vrbs Ligurum ſacris inclyta lauit aquis.
Poſtea quis, qualiſue ſiem, ſententia nutat
Scriptorum: nutas tu quoque Lector? habe.

F. NATALIS LEGELLIVS
CARMELITA.

PATRIA ET VRBE,

CONTRIBVLI

adgratulatur.

BRVXELLA *lampas flammea Belgidos*
Quæ fulminantem Rhetora, ſub tuis
Mirata vidiſti theatris,
Attonitum tenuiſſe vulgus.
Deſiſte laudes dicere PROSPERI,
Quem Galliarum iam gremio fouet
Vrbs prima Lugdunum, virúmque
Laude ſuâ cumulare gaudet.
Hiſpane, ceſſa Theologi inſolens
Æquare cœlis ingenij iubar:
Permitte Gallis, túque plauſus,
Fœta ſacro Salamanca Phœbo.
Hunc tu viciſſim NERVIA,*pulpita*
Diuerberantem, pneumatis entheo
Ardore plenum, læta cernes,
Gutture præ reliquis diſerto.
Dumtaxat illum ſollicitâ prece
Vrge, cacumen cuius Olympicum
Auſcultat edicto, virile
Vt valeat tetigiſſe luſtrum.
Vix ſex quaternos cernere Iunios
Quiuit, perennat cùm decus illius:

En ſcripta conſecranda libris,
Quos fruticat generoſa Cedrus.
Maiora ſpera, cùm tibi liuidos
Maturiori lampade coxerit
Phœbus racemos: inuidere
Subſequa queis poterit propago.

MICHAEL BOVDRY,
BELGA NERVIVS.

ERRATA.

Pag. 18. *lin.* 7. *lege* cognominalem. 44. 4. ſtrepitu. 129.2. verè etſi. 217.10. Auguſtinianæ. 239.7. inguen.





F. Prosperi StellartI AVGVSTINOMACHIA,

Libri I.

DISSERTATIO I.

Quæ Augustini Patria: Rectè Carthaginensem dici: Baronio satisfactum: Item de tempore natiuitatis eius.

PRÆCLARA viri facinora à Patriâ & ortu exordiri, nec inusitatum, nec nouum. Mira vis namque in natali cujusque solo, cui arcano quodam vinclo diuinæ mentis, insitum est, virtutis aut vitij aliquid impertiri; qualiter alibi reperire non erit. Quisquis es, nî

me fallis, Patriæ tuæ Genius ingenium tibi largitur, quo extollaris aut iaceas apud exteros; vt quoties Patriã nominaris, toties qualis sis penè prodas. Italum dicis? subtilem & ingeniosum colligo. Gallum? ingenuum & affabilem. Hispanum? frigoris, æstus, famisque patientem. Belgam? sine fuco, sincerum & fidelem. Scio ego

—*quâ natale solum dulcedine cunctos allicit:*

non quia in illo infantia nostra vagiit, pueritia lusit, iuuētus exercita est; sed quia vagiendo, ludendo, exercitando, certos quosdam loci humores hausit, quos frustrà furcâ pellas. Ideóque iure suo repetens, quos in te & in me mores fudit, allicit, lacinit, ducitque semper,

——*immemores nec sinit esse sui.*

Glebam eius fugis? nonquam effugies ingenitam tibi ab eâ naturam, quâ quidem ad virtutem inclinaris aut vitia. Virgilianum illud

lud vulgare,

Hîc segetes, illîc veniũt feliciùs vua,
Arborei fœtus alibi,- —

ad homines traxero: hîc neruosi, illîc molles, alibi nascuntur ingeniosi. Tales semper Africa dedit quamplurimos: è quorum numero Gelasium, Cyprianum, Tertullianum, sed & hũc, de quo loquor, Augustinum enumero; qui inter reliqua, ad virtutem & Musas, patrocinantem sibi Patriam habet.

Locus natalis, Tagastum fuit; seu, vt malunt alij, Tagasta, oppidum haud procul à Carthagine: vnde Carthaginẽsem Augustinum vocabat Ambrosius, nequaquam ferente aut patiente Baronio. Nam & Ambrosianis scriptis illegitimè id obtrusum sentit. Audebo ego à tanto viro dissentire? saltem in hoc liceat, & bonâ tuâ veniâ, bone lector, quia bona illa Ambrosij scriptio videtur, ob caussas quas dicam & quas modò non dicam. Africa minor, quæ nunc Barbaria *Respondetur Baronio argumẽtis quatuor.* I. *Argumẽtum.*

nominatur, vrbes habuit Carthaginem (& modò Carthagena dicitur) Vticam, Adrometum, Zamá, Hipponem Regium; quibus, Tagastum adnumerat Plinius. Hæc Africa, Carthaginẽsis passim appellabatur, vt admonet Iustinianus libro 1. & 2. de Legibus. Ergo, cùm Augustinus in Africa, non maiori sed minori natus sit, rectè Carthaginensis dicitur.

2. *Argum.* Addo quod apud Liuium legi. *Carthago erat in Africano orbe quasi Roma.* Itali omnes, Romani dicti; cur non & Africani, Carthaginenses? nam vrbem minorem, à suâ metropoli denominari, vulgare est & solitũ.

3. *Argum.* Insuper, Carthagine studuerat, docuerat, caussas egerat: & quod piaculum, si Carthaginensis appelletur, eo iure quo Epicurus olim Lãpsacenus?

4. *Argum.* Ad summum; si isthæc minimè sufficiant, de sensu verborum Ambrosij quæstionem mouebo: *Augustinus*, inquit, *Afer Carthaginensis philosophus:* vbi non Carthaginen

ginensem natione, sed Philosophũ Carthaginensem, metonimicè designat : quia inter vrbis illius Philosophos nominatissimus noscebatur.


Vt vt est, Constantio imperante, Albeñano & Lulliano Consulibus, natus est, idib. Nouemb. Quo scilicet tempore exosa Arianorum Hydra exorta est; vt esset saltem Hercules, qui, vulneribus suis crescentem, debellaret. Nascente Othomannorum imperio, caput extulit orbi domus Austriaca, quæ Romanorum imperium, Hungariæ, Hispaniæ, Boëmiæ, Indiarum, aliásque mundi potestates adepta, effrænatam Turcorum rabiem refrænaret: sic Augustinus, qui sectæ Arianorum caput amputaret, factiones alias penitùs euerteret; & quot quot ab eiusmodi noctibus venêre, scriptorum suorum radiis, tenebras illustraret. Verè adeò Prosper meus : *Quo tẽpore natus?*

Augustinus erat, quem Christi gratia, cornu

Vberiore rigãs, nostro lumẽ dedit æuo,
Accensum vero de lumine.

Sed, ab Africâ, ad Parentes veniamus; eius enim laudes (vt de Scipione canit Lucanus) sola

—— non capit Africa Mauro
Perfusa Oceano, Nilóque admota tepenti.



DISSERTATIO SECVNDA.

Parentes qui: quâ fide: fortunâ: moribus: data lux Possidio; Iosephi Pamphili error monstratus.



GRANDIS itaque commendatio patria est, in quâ geniti sumus: maior attamen parentes qui genuerunt. Non eâ quidem causâ, quâ Telamonius Ayax rodentem hunc Itaci dentem meruit:

Ouid. Meta. *Et genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi,*

Vix ea nostra voco, ——

ſed quia nos ab illis ſumus; & (audeo dicere) nos illi ſumus; ideſt ſemen de ſemine, caro de carne, ſanguis de ſanguine. Vnde, volentes, nolentes, patriſſamus ſemper in aliquo, formâ, ore, moribus. Vt cum Horatio dicam:

——Eſt in equis patrûm
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ Columbam.

Parentes Auguſtini, qui fuerint, norunt omnes, qui aliquid nouerũt: ſed quales fuerint, genere, fortunâ, moribus, pauci hactenùs apertè & verè ſcripſerunt. Pater, Patritius fuit; mater, Monica: qui ſi Chriſtiani extiterint dicant ſcriptores quos proferam. Et primò quidem, Poſſidius Calamẽſis: *Beatiſſimus Auguſtinus, ex prouinciâ Africanâ, ciuitate Tagaſtenſi, de numero curialium, parentibus honeſtis & Chriſtianis progenitus erat.* Pãphilus verò, in ordinis Chronico, *ex patre cathecumeno nomine Patritio, &* Cap. 1.

matre recente Christianâ, nomine Monicâ, natum scribit. Sed nec hic, nec ille, si crudè accipiam, verum dixisse videtur: nam vt de Patritio primò loquar, anno 16. ætatis Augustini, *ille adhuc cathecumenus, & hoc recens erat:* prout lib. 2. Conf. cap. 9. scriptum legimus. Libro autem 9. cap. 9. matris laudes canens: *etiam virum suum*, inquit, *in extremâ vitâ temporali eius, lucrata tibi* (Deo:) *nec in eo iam fideli planxit, quod in nondum fideli tolerauerat.* Si ergo anno 16. Augustini, cathecumenus factus est, & ante obitum baptisatus, quomodo *patre cathecumeno natus?* non video. Sed nec quomodo *matre recente Christianâ:* nam præfati libri cap. 8. de eâ sic loquitur: *Erudiuit eam in timore tuo virga Christi tui, in domo fideli, bono membro Ecclesiæ tuæ.* Et infrà paulò; matris suæ Monicæ educationem latiùs referens, famulæ cujusdam decrepitæ diligentiam in educandis edocendísque puellis,

Patritius cathecumenus.

Ante obitũ baptisatus.

Monica à teneris Christiana.

lis, meminit: *cuius rei gratiâ, & propter senectam ac mores optimos, in domo Christianâ satis à dominis honorabatur.* Ab eâ famulâ, & in eâdem domo Christianâ, educata est Monica: sub Parente suâ Facundiâ, in timore Christi enutrita est à teneris: quomodò ergò verum illud Pamphili: *ex matre recente Christianâ* natum esse, præsertim, cùm anno demùm ætatis suæ 23. circiter, Augustinum Monica susceperit? Non habebit Pamphilus quo se tueatur, maximè si ad verum suæ litis arbitrum, controuersiam referat. De verbis verò Possidij non moueor; quia nullo modo à rei veritate recedunt: cùm enim dixit: *Parẽtibus Christianis progenitus erat:* non quales fuerint, cùm gignerẽt, sed quales posteà facti sĩt, respexit. *Possid. interpretatus.*

Hactenùs de fide satis. Nũc de fortunâ, quæ non lata & lauta adeò, vt ferunt nescio qui clarissimos & nobilissimos, ditissimósque acclamantes. Dixerint illi, & con-

ceptissimâ affirmatione probent; ego auitam & generosam stirpem suspicari tantùm possum, donec certiùs aliquid ad aures vel oculos mihi deuenerit. Nam ne opibus & diuitiis abundantes dicam, vetat ipsa, quam scio, rei veritas. fallor? Augustini ephœbi studia, toto anno intermissa fuerunt, *dùm* (vt eius verbis vtar) *longioris apud Carthaginẽ peregrinationis sumptus præparabantur, animositate magis quàm opibus patris, munic[i]pis Tagastensis admodùm tenuis.* [C]larè æquè posteà, eodem lib. 2. Confess. cap. 3. *quis non extollebat laudibus, tunc hominem patrem meum, quod vltrà vires rei familiaris suæ, impenderet filio quidquid etiam longè peregrinanti studiorum caussâ opus esset?* Vndè, si non auito parentum stemmate nobilis erat; saltem propriâ generositate clarior enitebat cæteris: *multorum enim ciuium longè opulentiorum, nullum tale negotium pro liberis erat.* adeò vt ad virtutem in filio amandam

August. parens tenuis Fortunæ.

Se agenerosus & liberalis.

dam

dam, emendamque, natus videretur. *Erat verò ille sicut beniuolentiâ præcipuus, ita irâ feruidus.* Sed Monica, quàm dissimilis! modestam, honestam, *pulchram, & reuerenter amabilem atque mirabilem viro* fecerat Deus.

Beniuolus & iracundus.

Adhuc puellula, ne aquam quidem extrà horas mensæ prādij, aut cœnæ, bibere permittebatur, sed clanculùm & furtim, sobrietatem suam cœpit expugnare. *Nam cùm de more, tamquam puella sobria, iuberetur à parentibus de cuppâ vinum depromere, submisso poculo, quâ desuper patet, priusquam in laguinculam funderet merum, primoribus labris sorbebat exiguum.* Et paulò post: *Itaque ad illud modicum quottidiana modica addendo, in eam consuetudinem lapsa erat, vt propè iam plenos mero caliculos inhianter hauriret.* Nec pitissationem emendauit, donec ancilla facti conscia litigans cum dominâ minore, quod fit, *meribibulam* vocitauit. *Quo illa stimulo percussa, res-*

Monica paruula meribibula vocata.

Libr. 9. conf. c. 8.

pexit fœditatem suam , confestimq́ damnauit & exuit. At nonquid in patrios cineres immeïere videor, qui matrē accuſem ? minimè verò. *Non enim vllâ temulentâ cupidine faciebat hoc, sed quibusdam superfluẽtibus ætatis excessibus, qui ludicris moribus ebulliunt, & in puerilibus annis maiorum pondere premi solent.* Sit ita ſanè ; fuerit hæc pueritiæ macula: quàm exigua, & quantis virtutum ponderibus oppreſſa poſtmodùm! Quas quid referre iuuat? præſertim cùm ad vnguem plurima de eâ & in eam cap. 8. 9. 10. 11. ac 12. lib. 9. Cōfeſſ. Aug. referantur; è quibus pauca hæc tantùm aduoco in medium: *Nouerat non resistere irato viro.* Prætereà, *socrum suam primò susurris malarum ancillarum aduersus se irritatam, sic vicit obsequiis, perseuerans tolerantiâ & mansuetudine, vt illa vltrò filio suo, medias linguas famularum proderet, quibus inter se & nurum pax domestica turbabatur, expeteretq́ vindictam.* Inſuper, *virum*

suum

ſuum iam in extremâ vitâ temporali eius, lucrata eſt Deo.

Non pauci, viduitatis eius annos in Monaſterio tranſactos cenſent: & hinc Monicam quaſi monacham, dictam volunt: quorum ego ſententiæ nondum ſubſcribo, donec certi aliquid mihi ſubluceſcat. Nam ſi monialis, quomodò tot hinc inde diſcurſus? ſi clauſtralis: quomodò tranſmarini pro filio excurſus? quis ſumptus ſuggeſſit? quare ſororum oblita, dùm ad Oſtia Tiberina vitâ defungeretur? ſcio quidem: *eius germana ſoror*, vt meminit Poſſidius cap. 26. *vidua, Deo ſeruiẽs, multo tempore, vſque in diem obitus ſui, præpoſita ancillarum Dei vixit:* ideſt, Monialium mater fuit. De Monica autem Auguſtinus fatetur hoc tantum: *nobis Domine omnibus qui ante dormitionẽ eius in te conſociati viuebamus, perceptâ gratiâ baptiſmi tui, ita curam geſſit, quaſi omnes genuiſſet; ita ſeruiuit, quaſi ab omnibus genita fuiſſet.* Ex quibus,

Vtrum monialis in viduitate.

Auguſtini ſoror monialiũ mater.

Lib. 9. ca. 9.

quibus, si monialem quis colligat, per me licet, etsi non consentiente. Sed quia de eâ mentio non semel occurret toto opere, plura dicere supersedeo: vnum tamen næuum illi à Caluino inustum detergebo. Imminente iam iam ectasi, cùm de sepulchri curâ iustísque instituendis inter filios, Nauigium & Augustinum, ageretur; sapienter illa leuem tumuli iacturam expendens, *Ponite*, inquit, *hoc corpus vbicumque; nihil vos eius cura conturbet. Tantùm illud vos rogo, vt ad Domini altare meminerîtis mei, vbi fuerîtis.* Vnguis hic, in tuo vlcere, Caluine, quem quia schemate eductum non vales, scommate auulsum velles. Altaria tibi precésque sordent (adeò emunctæ naris es,) atque ideò sanctum hoc morientis Monicæ votum, *anile votum* prædicas, *quod filius noluit reuocare ad normam pietatis.* Os impudens! nec rubescis mētiri palam! Statim defunctâ matre, audi, sodes, quid sequatur: *Psalterium*


Sensus Caluini de Monica.

rium arripuit Euodius & cantare cœpit psalmum (cui respondebamus omnis domus) Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Eccum filium qui voto materno facit satis; orat, precatur, psallit: sed non attendit Caluinus; aut si audiat, delirans nati factum explodet, qui anile matris votum, superbè an stultè, sannauit. Quid reponam ego illis, quibus insipiens videtur Augustinus? qui sibi credi volunt omnia, aliis nonquam? ô Caluinistæ calui nimium & decaluati! triuialem, amabò, hanc & scurrilem à Plauto togam induite, quæ alterâ immutatâ fimbriâ, moribus vestris pulchrè quadrabit: Lib. 9. Conf.

——nihil est profectò stultius
Quàm vrbani illi CALVI *quos*
GNOTHOS *vocant:*
Qui omnia se simulant scire nec
quidquam sciunt:
Quod quisque in animum habituri
sunt, sciunt:
Quod Iuno fabulata sit cum Ioue,
quæ neque

Futura neq; facta sunt, tamẽ illi sciunt:
Falsò an verò culpent, quæ velint non flocci faciunt,
Dum illud quod lubeat, sciant.

Quod superest, lector beniuole, de obitu Monicæ vin' plura? febribus ad ostia Tiberina occubuit, ætat. suæ anno 56. mensis Maij 4. ibique sepulta iacuit & latuit, donec miraculis clara & rara Romã delata, ad hanc horam diuinis adficitur honoribus.



DISSERTATIO TERTIA.

De nomine AVGVSTINVS *& prænomine* AVRELIVS: *diuinitùs videri indita.*

Ratio habita in dandis nominibus.



ON fortuito casu, sed diuino prouidente ac prę-uidente volito, plerumque constat nominum inditio.

ditio. Legis gratię præcurſor, Ioannes vocari debuit: ſacrificulus ille gentium pater, Abraham dici meruit. Quid Aman? quid Achitofel? quid Iſcariotes memoretur? vnà meherculè, cum nomine, ſiniſtram texendæ vitæ ſeriem prætulêre, aut contulêre; cùm primus ille, *perturbator*; alter, *ruinæ frater*; hic verò, *occiſionis homo* deſignetur. Propterea, hâc quoque temporis noſtri tempeſtate, dum ad bona vota properant parentes, nomina pueris imponũt nondum naſcentibus. nomina? & cum eis, omina. Placent itaque, quæ rara, quæ ſonora; ſed magè quæ melioris quiddam ominis præſignantia. Sic Annibalis, Amilcaris, Aſdrubalis nomine, filiolos ſuos inſigniri miles malit, quam Sardanapali vel Terſitis; quia nempè illi in bellis famâ ſublimes, Deorum quaſi concilio adſcripti; hi imbelles, infamiâ notati, ne virûm quidem catalogo adnotati. Fax magna ad virtutem, nomen

nomen magnum aut magni nomē. Pauo rotatis plumarum coloribus, fastum deprimit, si pedes intuetur: sic qui nomen ignobile. Alexander, olim, Philippi, pulchrè, sicut cætera, inertem militem, sed sibi cognominem, notans: *aut Alexandrum*, dixit, *te gere, aut Alexandri nomen exue*. Nomen, quale quale est, pro speculo est, in quo continuò habeas quod videas & imitêre; vt quisquis nominet aut vocet, nescio quo modo, stimulet ad magna.

Augustinus quasi Augustus. Patritio placuit id augurium cui natum suum Augustinum ab Augusto dici placuit: Græcanicâ forsitan vocis imminutione, quâ significatio foret auctior. fallor? sententiæ meæ suffragatur B. Notherus, qui arguto verborum ambitu Augustinum pingens, canit: *In hymno S. Steph.*

Hæc mihi doctor retulit peritus,
Nomen Augusti merito retentans.

Augustū quid. Romanis, olim, *Augustum* idem quod auguratum fuit: & Nasone testante:

—*augu*

— — auguſta vocantur
Templa ſacerdotũ ritè dicata manu: *Faſtorũ primo.*
ſic æterno Fati augurio templum dei factus eſt Auguſtinus, religiosâ quadam veneratione æternùm colendus. Quid, quod recundendis apum fauis alueare, ſedes auguſta vocatur à Marone?

Si quando ſedem auguſtam, ſeruatáque mella *Georg. 4.*
Theſauris, relines. ———

Et tu, Pater ſanctiſſime, nonquid Alueari Eccleſiæ præpoſitus, (nî ipſum Alueare es) *Auguſtinus aluear Ecclesia.*

Frangis nobis fauos mellis
De ſcripturis diſſerens?


S.P.Q.R. menſem ſextilẽ Auguſtum dici voluit, quia eo tempore, conſulatum Cæſar inierit, Triumphos in vrbem intulerit, Ægyptóque in ſuam poteſtatem redactâ, bellis ciuilibus finem impoſuerit: ſed ſtudio Auguſtini (vt habet Poſſidius) *magis magisq́ iuuante Chriſto, de die in diem augebatur Pacis vnitas, & Eccleſiæ Chriſti confraternitas.* *Macrob. lib. 4.*

Alter

Augustinus alter Augustus. Alter vrbis conditor Suetonio dictus Augustus: alter fidei conditor Hieronymi encomio nominatus
Epist.25. Augustinus: *macte animo in orbe celebraris, Catholici te conditorem fidei rursum venerantur atque suspiciunt.*


Aug. vnde dictus Aurelius Verùm, Aurelij nomen vnde dictum? vnde deductum? Aurelia, familia Romæ imprimis celebris fuit, à Sabinis oriunda. Ex hâc illustrium Romanorum plerique originem traxêre, qui posteà (vt verisimile mihi sit) Carthagine euersâ cum Afris coniugia contraxêre; à quibus longâ serie descendit Augustinus de Patricij trunco ramusculus. Primùm quidem Aurelij *Aurelius quasi aureâ sede dignus.* dicti quasi aureâ sede digni: quæ non nisi cuiusque gentis sapientissimo concessa. Sic inter Hebræos Salomoni, qui solio effultus aureo, iura dabat: Inter Bracmanes, Hierarchæ; quem throno insidentem aureo vidit Apollonius. Inter doctores, quis aureâ sede dignior Aurelio? *in* *Cassiod.* *Ecclesiâ* namque, *suauissimo nitore resplen*

reſplendens, ſuperni luminis claritate radiat: qui ingenij acumine Zenonem; rerum copiâ Criſippum; voluminum mole Varronem non æquarit modò, ſed longè ſuperarit. At nihil attinet huc plura referre, quæ ſuo diſtributa loco reſeruãtur. Ne naturæ ordinem peruertamus, ad maiora calamum ſtilumque vertamus.




DISSERTATIO QVARTA.

De primis ſtudiorum elementis Auguſtini: Cur Græcam Linguam ægrè diſcat: Quis vernaculus illi ſermo: Latinum videri.



T per ætatem tenellulam licuit Eccleſiæ traditus eſt, & inter catechumenos recenſitus, adeoque Chriſti nomen ab incunabulis imbibit *Auguſt. pueritia pia.*



bibit, vt nihil saperet nihil animum raperet, quod sine illo legeretur: signo Crucis muniebatur, Deúque rogabat paruulus adfectu non paruo, præsertim nè in scholis vapularet. Vnde cùm stomachi dolore pressus infirmari grauiùs cœpisset, Baptisma petiit quod ab ægritudine respiranti dari dilatum est.

Etiã ingeniosa ac laudata. Madauris deinde Manilio Theodoro, viro bono & literis commendatissimo traditus, ita profecit, vt publico doctoris encomio *bonæ spei puer* appellaretur. Memoriâ enim mirabili, ingenioque super coëtaneos memorabili, quid non discebat quàm celerrimè? coactus quidem primò, vt fit, sed progrediente ætate, animum vltrò ad literas appulit. *Aug. delectatur poëtis Latinis.* Musarum illectus lenocinio, fabellarum narratiunculis & fictis poëtarum capiebatur deliramentis. Iam curiosâ scrutabatur diligentiâ, si quem Æneam Dido Carthaginensis ardeat: quis Iupiter, per impluuium aureum, descendat ad Danaen:

Danaen: cur ſiniſtrè commota Iuno, Troyanis inſaniat; & ſi quæ alia abdita Muſæ in Parnaſſò ſuo occulant Latinæ: ſed Latinæ tantùm: nam nullum aut paruum illi cum Græcis commercium tunc fuit, niſi inuito. Et quam cauſſam poſſum ſuſpicari, niſi quia Latina illi vernacula fuit, Græca verò peregrina?

Græcas literas odit.

Hunc meum ſenſum, cùm nuperis diebus, vulgaſſem apud virum magnum, cœpit ille diſertè & grauiter animi mei ſententiam velle expugnare, non ſine adſtantium plauſu; ita vt vnicus dumtaxat (ſed & ille magnus) partibus meis tutandis reſtaret. Multa vtrinque iactata: multa diximus, ſed veri quid didicimus; cùm nec ille, opinioni ſuæ, quæ præoccupauerat, cedere vellet; nec ego veritati, quam ſciebam, non adquieſcere non poſſem? Adeſdum, vir magne, & quàm pertinax ego ſim, ſeriò vide: rurſus prodeo; quodque aliàs priuatim; in publicum iam vulgo & prodo; victoriam

Amica velitatio cum viro magno.

ctoriam quaſi ab abſente ſuffuraturus, quam à præſente extorquere vix valui: *facile erit non repugnantem vincere.*

Hiſpanos & Afros Latinè aliquandò locutos.

Hæc igitur prima ſermonis mei baſis ſit, non ſolùm Romanos olim Latinè locutos, ſed & Hiſpanos & Afros paſſim eâ linguâ vſos, quam Romanam dicimus. Et cur talem dicimus? an Romæ nata eſt? an in Italiâ primò inuenta? quis certò nouit an non aliundè aducta? an non ex Africâ contracta? an non per Æneam ex Aſiâ, vel per alios ex Europâ? Opinor ego ex Arcadiâ: nam & Nicoſtrata Regis Iſocratis filia, Fauni vxor, Latinos caracteres nouēdecim inuenit. Quid vetuit & ad alios ſimul cum literis ſermonē deriuari? Certis namque coniecturis ediſcimus ſuæ cuique vernaculæ ſuos caracteres adhiberi ſolitos, in quibus cum peregrinis nihil cōmercij aut ſimilitudinis adpareret. Græci ſuis literis vſi, non Latinis; Germani, Flandri, Angli caracteres

De origine Latinæ linguæ coniectura.

Roma

Romanos nesciuerunt ante annum ∞CCLI. Nec alij forsitan linguam, ante bella Punica, aut Cæsares. Tum enim; (* Patrem meum in arbitrum litis voco) *data est opera vt Ciuitas Imperiosa non solùm iugum, verùm etiam linguam suam domitis gentibus per pacem societatis* (corrigi velim *sociatis*, aut certè *per speciem societatis*) *imponeret.* Longè adeò & latè sparsa hæc lingua, vt Plutarchus scripserit, *omnes ferè homines suo æuo eâ vsos.* *De Ciuit. li. 19. cap. 8.* *Correcta leuiter Augustini scripta.*

Pro Hispanis, Seneca, Lucanus, Martialis clamant. Reliqui etiam, *qui ad Bætim colunt, plenè planeq; cõuersi iam in Romanos ritus; adeò vt nec sermonis sui Patrij meminerint.* A quâ licet venustas illa antiqua fugerit, sui tamen vestigium non abstulit penitùs. Tu, tantùm hinc aduerte lector: *Strabo.*

*O furia, que sanctos * matas innocentes:*
Predicando caussas mysteriosas,
Coronas de martirio gloriosas;

Versus Hispano-Latini.
** Mactas*

Das suaues, puras, refulgentes:
Tu de industria mortifera, fabricas
Penas contra Christianos rigorosas.

Magna affinitas lingua Hispan. cum Latinâ. Rarum hoc & quæsitum putes: quæsitum fatebor, sed minimè rarum: pleraq; omnia literulis immutatis latinitati pristinæ restituentur vocabula: sic, pro famâ, fabâ, fœnò, formicâ; *hàma, habà, henò, hormicà* dicũt. Rursus, quod nos, pleno, plano; illi *lleno, llano*, scribunt. Familiari sermone, *Chatarina*, inquiũt, *assa tres aues, tres passeres, tres sardinas*: quod Latinè aliter dici non posse, scimus. Sed de Africâ quid

Afros Latinè scripsisse. tandem? Pro eâ pugnant vndique scriptores in sacris & prophanis non pauci; Tertulianus, Gelasius, Terentius, Apuleius; nam & de postremi huius stilo agens Lipsius:

Lib. 2. Elect. c. 21. *Scabrum*, inquit, *illud & ex adfectatâ nimis antiquitate horridum, radit sæpè & lædit meas aures. Sed hîc quoque duo patrocinantur, patria & argumẽtum: Ortu enim Afer fuit: quibus velut insitum in sententiis inuentionibúsque,*

que, acutis esse: asperis, durisque, in sermone. Sermone, inquã, verè Latino & patrio. Quòd autem à Patriâ excusatur; fit meritò: fatebor enim, non ea sermonis puritas in Africano aut Hispano orbe, quæ in Latio. Nam & quædam propria vocabula singulis fuisse, Cordubensis Philosophus docet: *Bona illa sunt vera, quæ Ratio dat: cætera, opinione bona sunt. Itaque commoda vocentur, & vt nostrâ linguâ* (Hispanica) *vtar, producta.* Videmus palàm, *commoda*, dici in Italia, quæ in Hispania *producta* vocabantur, cùm vtrumque verbum latinissimè modò dicatur. Nec hoc mirum. Nam Romæ quidẽ, quamuis Latinè loquerẽtur omnes, curiosiùs tamen aliis alij eloquebantur & tersiùs; nec vnica omnibus phrasis fuit. Hinc Cicero de Oratore libr. 3. *Equidem cùm audio socrum meam Læliam, eam sic audio vt Plautum mihi, aut Næuium videar audire: sono ipso vocis ita recto & simplici est, vt nihil ostentationis, aut*

Seneca Epist. 74.

Romani aliter ac aliter locuti.

imitationis affectare videatur. Ex quo sic locutum esse eius patrem iudico, sic maiores, &c. Et paulò post pergit: *Nemo enim vmquam est oratorem, quòd latinè loqueretur, admiratus: si est aliter, irrident: neque enim oratorem tantummodò, sed hominem non putāt.*

Tuscul. questio. lib. 1. Et qui irrident? dicit alibi: *frequens enim concessus theatri in quo sunt mulierculæ & pueri, mouetur audiens tam grande carmen:* Nempe hoc, quod latinum est:

Adsum atque aduenio Acheronte,
vix viâ altâ atque arduâ.

Latinè igitur intelligentes mulierculæ & pueri Romani, etsi illiterati.

Faustus Afer illiteratus, eloquentissimus latinè. Et inter Afros quidē, Faustus Manichæorum Præsbyter, cùm esset liberalium disciplinarum expers; tamen, Augustino teste, in concionibus, quas Latinè habebat, tantâ eloquentiâ valebat, vt etiam Ambrosiū superaret, *quia aliquas Tullianas orationes & paucissimos Senecæ libros, & nonnulla poëtarum & suæ sectæ, si qua volumina latinè atque*

August. lib. 5. ca. 6. Conf.

compa

compoſitè conſcripta. Contrà verò cóciōnibus ſeſe Epiſcopalibus perlubens ſubtraxit Valerius Antiſtes Hipponenſis, totumque onus in Auguſtini humeros reiecit: *cui ſe rei homo naturâ* * *Græcus, minúſque latinâ linguâ & literis inſtructus; minùs vtilem peruidebat*: vnde, ſi orator aut concionator latinè dicit, Latinos certè auditores fuiſſe oportuit. Quibus enim conſtat concio? an eruditis tantùm? Qui præſertim auditores? nonquid Poſſ. c. 5. * Quia Græci & Orientales linguam Romanam præ ſua contempſerunt.

Caupones, patagiarij, induſiarij,
Flammearij, violarij, carinarij,
Aut manulearij, aut murrobathrarij,
Sedentarij, ſutores, diabatrarij,
Solearij adſtāt, adſtāt ſemizonarij?

Nonquid amuſa plebs penè tota? & illam latinè ſciſſe oportuit.

Diffuſio illa linguæ cauſſa duplici cœpit. Miſſu primò Coloniarum, quæ plerumq; ęquabāt, aut ſuperabant veterum ciuium partē. Prætereà cōmunione ciuitatis. Paulatim

videlicet ius illud grande suę vrbis, nō Vmbris solùm, Etruscis, Samnitibus; non Græcis & Palliatis, sed Barbaris & Braccatis communicauit Gens togata: & quidem ea cautione, vt & linguæ conscientiam induerent. Claudius certè Imperator, * *Splendidum virum Græciæq; prouinciæ principem, verùm Latini sermonis ignarum, non modò albo Iudicum erasit, sed etiam in peregrinitatem redegit.* O periculum! Ideò, *Afri, Galli, Hispani, Pannoni, Britāni auidè arripuerunt: & inducto nouo, paullatim abolitum iuerunt veterem sermonem.* abolitum? hoc mirũ; at verum à viro tam vero, cui fidem semper, viri fide digni.

* *Suetonius cap. 16.*

Lipsius.

Romani & Afri quare scholas grammaticales frequentarint.

Quare ergo, inquiũt, scholis opus tunc fuit & doctorum præceptis? Quasi verò & Ciceronis æuo, Romæ idem vsus haud fuerit, non vt balbutire Latina discerent (quod nos facimus) sed ne corpus orationis eneruaretur, & vt grandis oratio maiestatis suæ pondus haberet;

vt


vt vulgò altiùs exurgerent;& quod Natura negabat, Ars perficeret. Quin facili factitatum negotio, quis dubitet? Nam de verbis, nullus discentibus labor, dum ea quæ in cunis à nutricibus didicerant, solùm ornatè & decorè disponerent. Gallos vide; præceptis quibusdam indigent, vt quam cum lacte materno mixtā didicêre Linguam, benè & decorè eloquantur. Sed alio longè sudore opus & diuturni studij tędio, dum inaudita mandare memoriæ verbatim in scholis docemur: à quo non ipsi Romani & Afri liberi erant, cùm Græca discerēt; nec Gręci, cùm Romana elementa audirent. Et hoc ipsum est quod toties queritur Augustinus: hic vnus quem puer fugitabat laborem; cùm Latina naturaliter scientem, Præceptorum verba & verbera ad lectiones Græcas cogebant. *Nam & Latina* (inquit l.1. Conf.c.14.) *aliquando infans vtique nulla noueram, & tamen aduertendo didici,*

Galli indigent præceptis vt tersè loquantur.

Aug. Latinam linguam discit à nutricibus.

didici, sine vllo metu atque cruciatu, inter blandimenta nutricum, & ioca arridentium, & lætitias alludentium. De Græcis inibi loquens: *Cur ergo Græcam etiam Grammaticã oderam? Nam & Homerus peritus texere tales fabellas* (quibus nempè delectabar) *& dulcißimè vanus est, mihi tamen amarus erat puero. Credo etiam Græcis pueris Virgilius ita sit, cùm eũ sic discere coguntur, vt ego illum:* caussam subiungit: *Videlicet difficultas omninò ediscendæ peregrinæ linguæ, quasi felle aspergebat omnes suauitates Græcas fabulosarum narrationum.* Nec tamen, Lector, eum Græcam Linguam nescijsse, hinc collige, sed in pueritiâ dumtaxat, odisse, intellige.

DIS



DISSERTATIO QVINTA.

De varia eius Venere & concubinis: Opinio vulgi, super hoc expugnata: Augustinus leuiter excusatus.

ELOQVENTIAM totis eructabat iam faucibus; dictaque eius omnia quasi papauere & sesamo adspersa fluebant suauiter. Fonte itaque Pierio plenissimus ephebus Tagastam rediit; dum exiguæ fortunæ parentes grauioris studij sumptus adpararent.

Annos sexdecim tunc natus erat; quibus ad ardorem Cyprium gestientibus, nîl nisi Venerem, nîl præter libidinem, meditabatur, tantùm satirij philtrique Thessali potarat.

Nequiculorum adolescentũ gaudet consorcio; iuuant balnea; no-

ćturna delectant furta; vicinorum vineas & hortos violat; excussóque fræno velut hinnulus vagatur. Parenti Patritio parùm est si suus insaniat Eschinus, si Deo desertus viuit: dummodò mellitis eloquentiæ globulis videatur disertus, inueniet qui sumptus suggerat, & camino oleum. Nam & quâdam die cùm pubescenti adolescentiâ indutum, pater vidisset in balneis, quasi hinc in nepotes gestiens, nunciauit vxori. At illa, & filij nequitias videns, & quod modò futurum, nî caueret, prȩuidens; cœpit humanitùs & viâ peruolgatâ matrûm, animum adolescentuli tractare; clanculùm, absente patre, quotidiè accusabat: hem! tibíne hæc diutiùs licere speras, me viuâ matre? erras, si id credis, & me ignoras, nate. Veniunt ad me vicini, clamitant, indignum facinus peperisse Augustinum: pomaria violasse; in vineas inuolasse. Quænam est hæc audacia? aut vbi ista latrocinia didicisti? Dùm per

Patritius mauult filiū eloquentem, quā benè viuentem.

Pia Monicæ cura de filio.

nuces

nuces licuit, siui animum vt expleres tuum : nunc hæc dies alios mores postulat. Porrò, excedis ex ephebis : viuendi tibi potestas, ad malum non debet esse liberior, sed cautior. Insurgentes eâ ætate motus comprimendi sunt, non fouendi. Intellegis quid loquar ? Castitatem tibi commendo, id est, virtutum virtutem, quę cum Angelis de gloriâ certat, ne quid ab eâ accusandus sis, vide.

Hæc seriò sæpius vrget sollicita; maximè ne adulteraret cuiusquam vxoré : sed monitus illi muliebres videbantur nimiùm, quibus obtéperare erubesceret. Sic, Carthaginem veniens loci Genium mutauit, non ingenium. Amotâ custodiâ, liberior vacandi potestas aperta est amoribus. Pro libito theatris è mediis flammarum alimenta poscit, vt dum eneruis histrio amorem fingeret, vulnus infligeret. Quis locus aut lucus venatori huic Cyprio inuius ? fora, fana, templa ipsa, sacri

August. contemnit matris monitus.

patietes, prurientibus & concupiscentibus eius ocellis profanantur.

Concubinam sibi adiũgit, & ex eâ Adeodatum. Sublato autem è viuis patre, vagam fugiens Venerem, cœpit mulierculam vnam, quam deperibat perditè, vxoris loco habere, quæ mater Adeodati posteà fuit, pueri expectationis maximæ, si Mors inuida & liuida Parenti non inuidisset. Illa autem cum eo vixit totos annos quatuordecim; in Italiam eũ secuta thori fidem vicemque seruans, donec voto castitatis emisso, prior ipsa remearet in Africam. In cuius locum aliam sibi substituit, fide non aliâ.

Aliam rursùs in locũ prioris sumit.

Permissum olim & licitũ concubinatum fuisse. Meritò miretur stupeatq; quisquam ad tantam hominis libidinem; ex quâ peruersissimam & nequissimam eius Naturam incuset. Zelo magis & ignorantiæ stimulo, quàm sale aut scientiâ impulsi fecêre id quidam. Nullum tamen scelus tunc fuit concubinam aluisse, quæ ab vxore nihil penitùs quã

ſolâ animi deſtinatione, differebat. Nam & concubinatus per leges nomen aſſumpſit, ideoque extra legis pœnam fuit. Quin & viro vxorem habenti aliam ſibi adiungere in cōcubinam, aliquando permiſſum legibus: hinc Imperatoris illud: *Patere me per alias exercere cupiditates meas; nam vxor nomen eſt dignitatis, non voluptatis*. improbè, quamquam argutè; contrà obduxit Conſtantinus vel hac cauſsâ magn⁹: *Nemini licentia concedatur, conſtante matrimonio, concubinam penes ſe habere*; ſed nec clericis, aut altari quoquo modo ſeruientibus habere concubinam aut ſubintroducere mulierem licuit. Matres quidem, aut ſorores, aliaſque quæ fugiunt ſuſpiciones, cohabitare eodem tecto Concilium Nicenum indulſit, quia ſcilicet in illis *nîl ſæui criminis, fœdus naturale permittit*. Sæcularibus laxior eo tempore lorus, & latior ad concubinatum locus. Mirum ideò minimè, ſi & tempore vſus ſit Au-

Quid differret vxor à concubinâ ex Iuriſc. Marco & Marcello.

Vxoratis interdictum lege vnica. cod. de conc. l. 5. tit. 26.

guſti

gustinus: & suadente adolescentiæ feruore, libidini suæ seruiens succubas successiuè duas aluerit, quibus *seruabat fidem thori.* Audite hęc ęui nostri cursores, fœdi-fragi, alieni lecti polluones, raptores, Sardanapali, thoripetæ Fauni; audite, & ad exemplum hominis nondum Christiani, vestris saltem vxoribus thori fidem seruate.

DISSERTATIO SEXTA.

Ingenij eius acumẽ diuinum: Falsò dici de eo, sola Logica me discipulum fecit: Inter caussidicos versatum, & qualiter: Vitam pristinam paullulùm emendat.

Augus. Aristotele maior ingenio.

ARISTOTELES ille ingeniorum Lumen, apud Græcos diutissimè versatus, Platonis postremò Acade

Academiam accessit, quam (si Marsilio creditur) totos viginti annos frequentauit assiduus. at noster hic, vndeuigesimum natus, pleno scientiarum omnium gurgite, veluti Neptunus in vndis, supernatabat. Idem, stupor & admiratio si ætatem adtendas, quâ quidem doctissima Academiarum pulpita non caperent quo ipse caperetur. Nulli secundus, superior omnibus; rhetorum eloquentissimus; philosophorum acutissimus, logicorum versutissimus: quem ideò *Dialectici* titulo insigniuit Sidonius ille Apollinaris Apollo.

Idem, omniscius.

Demiror, itaque, quomodo in imperitæ multitudinis ore voluatur, dixisse Augustinum: *sola Logica me discipulum fecit*: Quisquis hactenùs credidit, audiat & obaudiat: verè de se testantem induco: *Quidquid in arte loquendi & disserendi, quidquid de dimentionibus figurarum, & de Musicis, & de Numeris, sine magnâ difficultate, nullo hominũ tradente, intellexi.* Et antea paulò: *Annos*

Opinio vulgi explosa.

videlicet ius illud grande suę vrbis, nō Vmbris solùm, Etruscis, Samnitibus; non Græcis & Palliatis, sed Barbaris & Braccatis communicauit Gens togata: & quidem ea cautione, vt & linguæ conscientiam induerent. Claudius certè Imperator, * *Splendidum virum Græciæq; prouinciæ principem, verùm Latini sermonis ignarum, non modò albo Iudicum erasit, sed etiam in peregrinitatem redegit.* O periculum! Ideò, *Afri, Galli, Hispani, Pannoni, Britāni auidè arripuerunt: & inducto nouo, paullatim abolitum iuerunt veterem sermonem.* abolitum? hoc mirũ; at verum à viro tam vero, cui fidem semper, viri fide digni.

** Suetonius cap. 16.*

Lipsius.

Quare ergo, inquiũt, scholis opus tunc fuit & doctorum præceptis? Quasi verò & Ciceronis æuo, Romæ idem vsus haud fuerit, non vt balbutire Latina discerent (quod nos facimus) sed ne corpus orationis eneruaretur, & vt grandis oratio maiestatis suæ pondus haberet; vt

Romani & Afri quare scholas grammaticales frequentarint.


vt vulgò altiùs exurgerent;& quod Natura negabat, Ars perficeret. Quin facili factitatum negotio, quis dubitet? Nam de verbis, nullus discentibus labor, dum ea quæ in cunis à nutricibus didicerant, solùm ornatè & decorè disponerent. Gallos vide; præceptis quibusdam indigent, vt quam cum lacte materno mixtā didicêre Linguam, benè & decorè eloquantur. Sed alio longè sudore opus & diuturni studij tędio, dum inaudita mandare memoriæ verbatim in scholis docemur: à quo non ipsi Romani & Afri liberi erant, cùm Græca discerét; nec Gręci, cùm Romana elementa audirent. Et hoc ipsum est quod toties queritur Augustinus: hic vnus quem puer fugitabat laborem; cùm Latina naturaliter scientem, Præceptorum verba & verbera ad lectiones Græcas cogebant. *Nam & Latina* (inquit l.1. Conf. c. 14.) *aliquando infans vtique nulla noueram, & tamen aduertendo didici,*

Galli indigent præceptis vt tersè loquantur.

Aug. Latinam linguam discit à nutricibus.

didici, sine vllo metu atque cruciatu, inter blandimenta nutricum, & ioca arridentium, & lætitias alludentium. De Græcis inibi loquens: *Cur ergo Græcam etiam Grammaticā oderam? Nam & Homerus peritus texere tales fabellas* (quibus nempè delectabar) *& dulcißimè vanus est, mihi tamen amarus erat puero. Credo etiam Græcis pueris Virgilius ita sit, cùm eū sic discere coguntur, vt ego illum:* caussam subiungit: *Videlicet difficultas omninò ediscendæ peregrinæ linguæ, quasi felle aspergebat omnes suauitates Græcas fabulosarum narrationum.* Nec tamen, Lector, eum Græcam Linguam nescijsse, hinc collige, sed in pueritiâ dumtaxat, odisse, intellige.

DIS



DISSERTATIO QVINTA.

De varia eius Venere & concubinis: Opinio vulgi, super hoc expugnata: Augustinus leuiter excusatus.



LOQVENTIAM totis eructabat iam faucibus; dictaque eius omnia quasi papauere & sesamo adspersa fluebant suauiter. Fonte itaque Pierio plenissimus ephebus Tagastam rediit; dum exiguæ fortunæ parentes grauioris studij sumptus adpararent.

Annos sexdecim tunc natus erat; quibus ad ardorem Cyprium gestientibus, nîl nisi Venerem, nîl præter libidinem, meditabatur, tantùm satirij philtrique Thessali potarat.

Nequiculorum adolescentũ gaudet consorcio; iuuant balnea; no-

ɛturna delectant furta; vicinorum vineas & hortos violat; excussoque fræno velut hinnulus vagatur. Parenti Patritio parùm est si suus insaniat Eschinus, si Deo desertus viuit: dummodò mellitis eloquentiæ globulis videatur disertus, inueniet qui sumptus suggerat, & camino oleum. Nam & quâdam die cùm pubescenti adolescentiâ indutum, pater vidisset in balneis, quasi hinc in nepotes gestiens, nunciauit vxori. At illa, & filij nequitias videns, & quod modò futurum, nî caueret, preuidens; cœpit humanitùs & viâ peruolgatâ matrûm, animum adolescentuli tractare; clanculùm, absente patre, quotidiè accusabat: hem! tibíne hæc diutiùs licere speras, me viuâ matre? erras, si id credis, & me ignoras, nate. Veniunt ad me vicini, clamitant, indignum facinus peperisse Augustinum: pomaria violasse; in vineas inuolasse. Quænam est hæc audacia? aut vbi ista latrocinia didicisti? Dùm per nuces

Patritius mauult filiũ eloquentem, quã benè viuentem.

Pia Monicæ cura de filio.

nuces licuit, ſiui animum vt expleres tuum : nunc hæc dies alios mores poſtulat. Porrò, excedis ex ephebis : viuendi tibi poteſtas, ad malum non debet eſſe liberior, ſed cautior. Inſurgentes eâ ætate motus comprimendi ſunt,non fouendi.Intellegis quid loquar ? Caſtitatem tibi commendo , id eſt, virtutum virtutem,quę cum Angelis de gloriâ certat. ne quid ab eâ accuſandus ſis,vide.

Hæc ſeriò ſæpius vrget ſollicita; maximè ne adulteraret cuiuſquam vxorē : ſed monitus illi muliebres videbantur nimiùm , quibus obtēperare erubeſceret. Sic, Carthaginem veniens loci Genium mutauit, non ingenium. Amotâ cuſtodiâ, liberior vacandi poteſtas aperta eſt amoribus. Pro libito theatris è mediis flammarum alimenta poſcit, vt dum eneruis hiſtrio amorem fingeret, vulnus infligeret. Quis locus aut lucus venatori huic Cyprio inuius ? fora, fana , templa ipſa , ſacri

Auguſt. contemnit matris monitus.

pariętes, prurientibus & concupiscentibus eius ocellis profanantur.

Concubinam sibi adiũgit, & ex eâ Adeodatum.

Sublato autem è viuis patre, vagam fugiens Venerem, cœpit mulierculam vnam, quam deperibat perditè, vxoris loco habere, quæ mater Adeodati posteà fuit, pueri expectationis maximæ, si Mors inuida & liuida Parenti non inuidisset. Illa autem cum eo vixit totos annos quatuordecim; in Italiam eũ secuta thori fidem vicemque seruans, donec voto castitatis emisso, prior ipsa remearet in Africam. In cuius locum aliam sibi substituit, fide non aliâ.

Aliam rursùs in locũ prioris sumit.

Permissum olim & licitũ concubinatum fuisse.

Meritò miretur stupeatq; quisquam ad tantam hominis libidinem; ex quâ peruersissimam & nequissimam eius Naturam incuset. Zelo magis & ignorantiæ stimulo, quàm sale aut scientiâ impulsi, fecêre id quidam. Nullum tamen scelus tunc fuit concubinam aluisse, quæ ab vxore nihil penitùs quã


solâ animi destinatione, differebat. Nam & concubinatus per leges nomen assumpsit, ideoque extra legis pœnam fuit. Quin & viro vxorem habenti aliam sibi adiungere in cõcubinam, aliquando permissum legibus: hinc Imperatoris illud: *Patere me per alias exercere cupiditates meas; nam vxor nomen est dignitatis, non voluptatis.* improbè, quamquam argutè; contrà obduxit Constantinus vel hac causâ magn⁹: *Nemini licentia concedatur, constante matrimonio, concubinam penes se habere;* sed nec clericis; aut altari quoquo modo seruientibus habere concubinam aut subintroducere mulierem licuit. Matres quidem, aut sorores, aliasque quæ fugiunt suspiciones, cohabitare eodem tecto Concilium Nicenum indulsit, quia scilicet in illis *nîl saui criminis, fœdus naturale permittit.* Sæcularibus laxior eo tempore locus, & latior ad concubinatum locus. Mirum ideò minimè, si & tempore vsus sit Augusti

Quid differret vxor à concubinâ ex Iurisc. Marco & Marcello.

Vxoratis interdictum lege vnica. cod. de conc. l. 5. tit. 26.

gusti

gustinus: & suadente adolescentiæ feruore, libidini suæ seruiens succubas successiuè duas aluerit, quibus *seruabat fidem thori.* Audite hęc ęui nostri cursores, fœdi-fragi, alieni lecti polluones, raptores, Sardanapali, thoripetæ Fauni; audite, & ad exemplum hominis nondum Christiani, vestris saltem vxoribus thori fidem seruate.



DISSERTATIO SEXTA.

Ingenij eius acumē diuinum: Falsò dici de eô, sola Logica me discipulum fecit: Inter caussidicos versatum, & qualiter: Vitam pristinam paullulùm emendat.

Augus. Aristotele maior ingenio.



RISTOTELES ille ingeniorum Lumen, apud Græcos diutissimè versatus, Platonis postremò Acade

Academiam acceſſit, quam (ſi Marſilio creditur) totos viginti annos frequentauit aſſiduus. at noſter hic, vndeuigeſimum natus, pleno ſcientiarum omnium gurgite, veluti Neptunus in vndis, ſupernatabat. Idem, ſtupor & admiratio ſi ætatem adtendas, quâ quidem doctiſſima Academiarum pulpita non caperent quo ipſe caperetur. Nulli ſecundus, ſuperior omnibus; rhetorum eloquentiſſimus, philoſophorum acutiſſimus, logicorum verſutiſſimus: quem ideò *Dialectici* titulo inſigniuit Sidonius ille Apollinaris Apollo.

Idem, omniſcius.

Demiror, itaque, quomodo in imperitæ multitudinis ore voluatur, dixiſſe Auguſtinum: *ſola Logica me diſcipulum fecit*. Quiſquis hactenùs credidit, audiat & obaudiat: verè de ſe teſtantem induco: *Quidquid in arte loquendi & diſſerendi, quidquid de dimentionibus figurarum, & de Muſicis, & de Numeris, ſine magnâ difficultate, nullo hominũ tradente, intellexi.* Et antea paulò: *Annos*

Opinio vulgi explosa.

nos natus fermè viginti, cùm in manus meas venissent Aristotelica quadam, quas appellant decem Categorias, & legi solus, & intellexi. quas cùm contulissem cum eis qui se dicebant vix eas magistris eruditissimis, non loquentibus tantùm, sed multa in puluere depingentibus intellexisse; nihil indè aliud mihi dicere potuerunt, quàm ego solus apud meipsum legens cognoueram. En Aquilá: & quis sic altè volauit? In laudes eius resonantem Licentij Poëtæ lyram audire placet:

Apud Augustinum Epistol. 39.

Viginti emensus non longos forsitan orbes
Solis eras, cùm te Ratio pulcherrima, Mundi
Ditior imperijs, & nectare dulcior omni,
Corripuit; statuitq; vagum, medioq; locauit
Omnibus vnde aciem possis intendere rebus.

Augustino scientia infusa

Et quisquam arte comparatam hãc eruditionem arbitretur? Ego cum Mau

Mauronico diuinitùs cenſebo infuſam.

Cœpit itaque Antiſtes eſſe Eloquentiæ; Tagaſtæ primùm, mox amplioris fortunæ cathedram nactus, Suadam eandẽ in Africæ metropoli docuit: Licentium, Alipiũ, alióſque plures à diſciplinâ ſuâ cõmendatos erudiens. Nec dubium qùin in foro cauſſas habuerit inter aduocatos, qui ſe Euerſores nominabant: ita tamẽ vt ab eorum euerſionibus & peruerſionibus planè alienus eſſet, etſi cúm eis eſſet, & eorum neceſſitudine delectaretur maximè. Quid ſuper hoc mirer?

Docet Rhetoricam.

Verſatur inter cauſſidicos.

——magnum exemplũ Continentiæ.
Nam, qui cum ingeniis cõflictatur eiuſmodi,
Neque commouetur animus in eâ re tamen:
Scias poſſe habere iam ipſum ſuæ vitæ modum.

Terent. in And. ac. I. ſc. I.

Amicis vndique circumuallatus, coronis inſuper vario certamine partis ſuperbus, in Muſarum arenâ victor

victor, arbitrari potuisset à custodiâ sui remouisse vultum Fortunã; sed cùm ad Hortensium Ciceronis (qui liber nobis periit) animum adpulisset, solitò modestiùs & honestiùs viuere instituit. Quasi adeptâ recti & decori normulâ, auidis resumebat faucibus, quam lacte immixtam materno pietatem hauserat. Semper ille Hortensius in sinu & oculis, quia Sapientiam sine fuco & fastu doceret assequendam. Vnico tamen hoc titulo displicebat, quòd Christi nomen non loqueretur. Mira vis educationis primæ. Suauissima desipiunt Oratoris mella: & vt ipse testatur, *Hoc nomen Saluatoris mei in ipso adhuc lacte matris, tenerum cor piè ebiberat & altè retinebat; vt quidquid sine hoc nomine fuisset, quamuis literatum, expolitum, ac veridicum, non me totum rapiebat.* Instituit igitur animum intendere in Scripturas sanctas, sed visæ statim indignæ quas Tullianæ dignitati compararet. sic re vocante

Emendat vitã: & quomodo.

Respuit Scripturas SS. quia stilo humiles.

te, ſtilus auertit; & humiliter bona fugitantem, ad ſuperbè mala diuertit.

DISSERTATIO SEPTIMA.

De eius Manichaiſmo: contra Hæreſes noſtri æui dicta quadam: Item Monicæ vaticinium monſtratum.

O MALE cautam Iuuentutem! miſeret me, medius-fidius, tui, miſeret. Quàm falli facilis! præſertim ab eis qui malitiam ſuam tegunt aliquo fuco Pietatis. En, dum miſellus ille veram Philoſophiam quærit, & animi Conſtantiam, quâ ad beatam vitam itur, inueſtigat; malè cautus in laqueos incidit Diaboli, quos iniecit Manichęorum farrago, *in quorum ore viſcum confectum commixtione ſyllabarum nominis*

Vulpina ſanctitas hæreticorum fallit Aug. ibid. c. 6.

nis Domini Iesu Christi & Paracleti consolatoris Spiritus sancti. Hæc enim omnia non recedebāt de ore eorum, sed sono tenus, & strepitum linguæ, cæterum cor inane Veri: & dicebant Veritas & Veritas, & multi eam dicebāt, & nusquam erat in eis. En Cyrceæ fraudis pocula, quibus ebrius vir tantus, tot annis vacillauit falsus fallensq;. quàm auidè hausit virus illud Æchidnæ, quod diuino conditum nectare apparebat. Quid hìc conquerar, aut exclamem? O Africa, monstrorum Cybele semper fœcunda; agedùm virulento tuo vtero gratare; foues, eccè, foues eum, quem si faustè enixa tibi fueris, quaquâ patet orbis, funditùs occidimus: sed aliter prouisum: nam tamquam Vipera fœtu cades proprio, & quotquot tuo adflatu contaminati hactenùs, peribunt. Cognata tibi monstra, non alet Africana plaga. Numidia nesciet Hæresim; Hæresis nesciet Numidiam: exulabit; & vecors, amens, incerti

incerti laris, in peregrinos blandas furoris ſui detorquebit ſagittas. Felix qui Gorgoneo protectus clypeo, vitabit, & auitâ religione ſecurus deget. felix heu! Francia, verè Frãcia, ſi ſeruile illud nouitatis iugum, nimiâ leuitate nonquam ſubiiſſes. Pares nũc Vitiis, quæ nuper imperabas; & tanquam Hercules, toxico ebria mediis ardes viſceribus: languet caput, torpent membra, venter diffinditur, pedes ſublabuntur, & in peiùs ruunt omnia, altùm adeò latúmque Caluiniani Neſſi virus venas inuaſit tuas. Túne Francia, noua facta Africa, noua monſtrorum ſedes, noua genitrix, noua palus, nouus Auernus? ecce,

Querela mea in Franciã.

Centauri in foribus ſtabulant, Scyllæq́ biformes,
Et centum-geminus Briareus, ac bellua Lernæ
Horrendùm ſtridens; flammíſque armata Chimera,
Gorgones, Harpiæq́, & forma tricorporis Vmbræ.

Virg. 6. Æneid.

Cu

Curiam Cyrces dicerem, tanta mõstra adparent vndique: tot caniculi in Lunam latrantes; tot *Viperarum genimina*, annosam Fidem, antiquã matrem, inuadentia. Téne inter eos animæ meæ quondam dimidium, latitare? Téne? qui parentibus Christianissimis natus es, alienos errores sequi? Quis te Protheum nouâ hâc induit figurâ? Nonquam (ita me Deus amet) nonquam siccis animi oculis, hæc meditor; vixque lachrymas teneo, dũ metamorphosim hanc tui, & ad te literis mando. heu, me! heu inquam me! sed taceo, taceo. Satis, heu! nimium satis (sed tuo malo) intellegis quid loquar: vin' altiore voce & apertiore, me tecum quæ meditor eloqui? audi:

Meus adfectus in quendam amicum ab hæreticis malè hamatum.

Petron.

Qui mali sunt, non fuerunt matris ab aluo mali;
Sed malos faciunt malorum falsa contubernia.

Acti pænitet, & te pæniteat: dolet, doleat: deliquit, sed reliquit: tu sequere ad cœlestia tendentem, quẽ in

in Tartara ducem habuisti. Nec illum, sed Parentes adspice: deus bone, quales! Dic, tuâ fide, errauerũt aui, proaui, ataui, abaui? errauêre scriptores, doctores, Christus ipse? soli illi nouatores hæreticuli in via? alij omnes in inuio? non possũ quin isthæc sannem. Nos, inquiunt, veritate ducimur; veritas nobis Pharus est; veritatem sequimur ducẽ; veritati obsequimur: & vbique in nobis veritas. *Et dicebant Veritas & Veritas, & multi eam dicebant mihi, & nusquam erat in eis.* Itáne Papilio, ad subdolum illum veritatis fumũ volitans captus es; & quasi malè cautulus, dissolutis ad solem pennis Icarus, à cœlo in abyssum deuolueris? Iã tui securus, futuri mali nescius, iaces miser, hoc ipso miserior, quòd te miserum malisque serum haud sentias. heu! *August.*

Felix illi animi, quem non de tramite recto *Psalm.* 1. *David.*
Impia sacrilega flexit cõtagio culpæ:
Non iter erroris tenuit, sessórve cathedræ

Pestiferæ, facilem dedit irrisoribus aurem.

Sed ad Monicā mecum reuertere, quam planè pro te tua mater aliquando, vt nosti, induit.

Monica qualis in filiū hæreticum. Perditissimâ hæresis nouitate deprauatum natum Monica videt, dolet, ingemit; quasique Virtuti emortuo, perpetuis parentat lachrimis. Erroris eius auersata blasphemias, non cibum vnà capere, non communi mensâ frui, tecto eodem vix dignari cœpit. Fortè cùm die quadam in triclinio eius sese obtulisset alloquiis, ô, inquit, ô fili, matris dolor, nescis quàm insomni vexata sim somnio; nescis. At ille, venustè aulicus: rogo, inquam, mater, quidquid id est, fac statim vt sciam, audientem habes. Tùm ipsa: stans, ait, vt putabam, in lignea quadam linea, iuuenē splendidè hilarū vidi, qui mœroris mei caussas sciscitatus, de te iussit esse securam; *attende,* inquiens, VBI TV, IBI ET ILLE.

Eius de eo somnium mirabile. Blandùm subrisit Augustinus; cumque


que cæpisset suadere, vt illa potiùs speraret futuram aliquandò se, quod erat: *Non*, respondit, *ô nate, nõ enim mihi dictũ est: vbi ille, ibi tu; sed,* VBI TV, IBI ET ILLE. Ad tam insperatum mulieris responsum totus stupuit, & verecundiâ amictus abituriens dicebat:

Somnia quæ mentes ludunt volitantibus alis,
Non delubra Deûm, nec ab æthere numina mittunt;
Sed sibi quisque facit.

Et sic iocatus, mediis in luctibus, querulam deseruit.

DISSERTATIO OCTAVA.

Lachrymas matrem Augustini fuisse.



LAVDIS, plausus, honorisque sui crescentem segetem videbat in dies; mater contrà, manantes lachrymarum fluctus, cordisq; lu-

ctus sentiebat in dies. Vnius caussæ quàm varij adfectus! quàm varij effectus! Orationi assidua filiũ Deo commendabat; sed & Ciuitatis suæ * Episcopum sæpiùs adibat, sæpiùs fatigabat vt natum dignaretur admonere; &, si posset, à miserrimo illo errore miserrimum amouere. At ille, sortem miseratus iniquam, vt misellæ luctum vidit, faciemq́; lachrymis fimbriatam, sapienter supprimere querelam iussit: ne dolore superuacuo pectus diduceret; talem aliquando se fuisse; libros se pro Manichæis scriptitasse, sed Dei manu reuocatum se esse; de nato tale futurum addens; & cætera quibus exulceratæ mentes ad sanitatem reuocantur. Postremò, cùm singultu loquelam strangulante, nîl ipsa responderet: *Vade*, subiecit, *ô mulier, impoßibile est vt filius tantarum lachrymarum pereat.*

* *Maximè fallũtur qui scribunt hunc Episcopũ fuisse Ambrosium: nã Africanus hic erat, ille Mediol. quò nondum venerãt aut Monica, aut Augustinus. Puto itaque Valerium, cui posteà successit August.*

Eheu! quàm plunio fletu corrumpit ocellos!
Corrivat scatebras, quà patet vsque suas.

Elegans carmen authoris

Eheu!

Eheu! sed cessa, cessa dolor improbe; nondum
Cessit in arbitrium pupula tota tuum?
Fallimur? an lachrymæ lachrymis glomerantur inanes?
Hic fletus, puto, nîl flebilitatis habet.
Harum Augustinus lachrymarum filius: ergo
Hinc mœror gaudens, gaudia mœsta fluunt.
Quis neget has lachrymas nectar, vel fundere mella?
Nî lachrymas nectar, nî mera mella putes.
O acidum nectar Monica! eheu! fellea mella
Discere sed flentem quisve fleatur, aves?
Qua deflet, generat: quem flet, generatur Amori
Natus: si gigni est, ne moriare, mori.
Ridentes lachrymæ! risus lachrymabilis! immò
O fletus, qui nîl flebilitatis habet!

mihi adhuc incerti, nisi forsitan Rinio adscribatur.

Dùm Rosa veris honos, tenui vult pendula ramo,
Carceribus calicis manè migrare sui;
Sic Phœbum exclamat: monstra Phœbe optime, monstra
Quas potis est remex hic odor ire vias.
Cùm prece, non sistit genitales mittere lymphas:
Vndique flore mador, flósque madore ruit.
Sed ruit vt surgat, grauidíque adspergine roris
Vberius manat, qui modò stagnat, odor.
Sol Christus, teretes roris colludere guttas,
In Monica roscis viderat vsque genis:
Infit eas cernens: nescis Rosa dædala, nescis
Quàm mihi odorata parturiantur opes:
Deciduum cordis penetralibus elicis imbrem;

Sed

Sed fœtum, fœto, posteritate, viro.
Fallere nec falli valeo: tibi cortice vinctus,
Crede mihi, sese dissinuabit honos.
Tristior vnda meat? meat vnda puerpera votis;
Indigetem mater concipit vnda Deum,
Ridentes lachrymæ! risus lachrymabilis! immò
O fletus! qui nîl flebilitatis habet.
Haud secùs exultim dùm ploras vinea, quævis
Gaudia sunt lachrymis inuidiosa tuis:
Nā desolatæ mulcentur Sole marito:
Post vbi gemma tumet palmitis, vua rubet.
Augustinus erat generosæ simius vuæ;
Ore, colore, botrus; corde, sapore, botrus;
Quem defecato fugiunt saturata Lyæo
Dogmata; quem penitâ promptus ab arte latex:

Quémve mero lateant spumantia
scripta falerno,
Quæ satiare pia dolia mentis habēt.
En Monicæ botri, Monicæ suspi-
ria, vina
Mascula, quæ lachrymis ebria facta
suis.
Ridẽtes lachrymæ! risus lachry-
mabilis! immò—
O fletus, qui nîl flebilitatis ha-
bet,
Myrra patris coniux, incasti vin-
cula casti
Passa, fouens patrios folia vera
thoros:
Arboreum nomen sumpsit, cum
nomine corpus;
Et truncus sterili fertilitate fuit.
Flet tamen; vt priscis viduetur sen-
sibus; humet,
Quatenùs est madidis colliquefa-
cta poris:
Vuida conceptum singultu prodit
Adonim
Lucina, querulis auxiliante comis.
Arbor agit rimam, rimáque paten-
te venustùm,

E matris lachrymis, ipsa venusta
Venus:
Deperit, humano nec se furatur
amori;
Tantus habet rima pectus amoris
amor.
Adde fidem, lector, fingenti vana
Poëta:
Arrogat historicam fabula docta
fidem.
Myrra, suis lachrymis fœdos putre-
dinis artus
Proscribit: Monica talia stilla facit.
Augustini animus sanie, tabóque
fluebat;
Pro sanie & tabo, posteà thure sca-
tet.
Ridentes lachrymæ! risus la-
chrymabilis! immò
O fletus, qui nîl flebilitatis ha-
bet!
Heliades studeant pectus cohibere,
nec vltrà
Erudiant oculos ora rigare suos.
Funus id Heliadum est electro di-
uite fœnus:

Sed fœnus Monica, fœnore funus erit.
Heliadum lachrymæ formant electra? reformat,
Augustine, tuam lachryma fusa fidem.
Ridentes lachrymæ! risus lachrymabilis! immò
O fletus! qui nîl flebilitatis habet.

DISSERTATIO NONA.

A Manichæorum sectâ cur alienior fiat: Romam cur fugiat, inuitâ matre: De eius in hanc pietate, dicta quædam, præter multorum sensum.

Aug. quã diu Manichæus.

PER ipsos ferè annos nouem in Manichæorum Labyrinto errauerat vagabundus; & animo haud satis certo, quærebat qui certis rationibus

tionibus filo quasi Ariadneo, ad certum exitum deduceret. Sed cùm suæ sectæ, quos nouerat, nullus quæstionum oneri sufficeret, expectabatur Faustus vir inter eos eruditione nominatissimus; qui isthæc dubia, & si quæ maiora, enodatissimè (vt credebant) expediret. Tandem aliquandò appulit magnus ille Manichæorum Hercules: quem quidem vt è suggestu dicentem vidit, miratus est hominis eloquentiam, mellitamque oris facundiam. Verùm, cùm verba ipsa à veritate rerum, quas discendi cupidus erat, sagaci mentis indagine, secum tacitus discernere cœpisset, aduertit pulchriùs quàm veriùs dicere; nílque præter ampullas & fucum, tota dictione contineri. Et quid ad sitientis ardorem extinguendum, pretiosi cyati, sed vacui, decentissimus ministrator? Amotâ itaque concionis frequentiâ, sepositisque verborum ambagibus, cùm discutienda quædam subtiliter protulis-

Faustus qualis.

Ignorãtia hæreticorum docentiũ quæ nesciunt.

ſet, pudore ſuffuſus alter, *Nec auſus eſt ſubire ipſam ſarcinam: nouerat enim ſe iſta non noſſe.* Iam quantùm eius ignoratio, ad erudiẽdum Auguſtinum profuerit, de ſe dicet c.7.lib.5.Conf.vbi ſic: *Ille Fauſtus, qui multis laqueus mortis extitit, meũ, quo captus eram, relaxare iam cœperat, nec volens, nec ſciens. Cæterùm, omnis conatus meus, quo proficere in illâ ſectâ ſtatueram, illo homine cognitò, prorſus intercidit; non vt ab eis omninò ſepararer, ſed quaſi melius nõ inueniens, eo, quò iam cœperam, quoquo modo irrueram, contentus interim eſſe decreuerã; niſi aliquid fortè, quod magis eligendum eſſet, eluceret.* Sed illud, non Catthago, non Numidia, non tota dabit Africa. Agente ergo diuino motu, tædio & claſſis faſtidio capitur; Eloquentiæ ſuæ candidatorum effrænatam licentiam non ferens. In ſcholam nempe, tanquam in theatrum irruebant impudentiſſimè; ludumque verè ludum faciebant, ordinem omnem pertur-

Inſolẽtia ſtudioſorum Carthagiñe.

perturbando, quem quiſque diſci-pulis ſuis inſtituerat ad proficien-dum. Alia multa indigna, nec refe-renda, patrabant; patrocinante ta-men conſuetudine, didaſcalis fe-renda.

Proficiſcendi Romam conſiliũ fuit, ſi pacatiorem aliquam docen-di ac dicendi normulam ibi inue-niret. Parati comites, dictus fugę dies, prompta & expedita nauis ab ipſo ſoluenda portu, vnde miſer-rimã Didonem durus Æneas de-ſeruerat. Clam matre omnia: ſed illa nati obſeruantiſſima,

——*(Quis fallere poſſit amantem?)* *Æneid. 4.*
Præſenſit, motuſq; excepit prima futuros.

Iuſtiore itaque excandeſcens irâ, maternoſque adfectus penè oblita compellare his eum vocibus ad-greſſa creditur:

Diſſimulare etiam ſperaſti, perfide, tantum *Ibidem.*
Poſſe nefas? tacituſq; meâ diſcede-re terra?

Fulminatus hac pronunciatione Augustinus erubuit haud mediocriter; nec quid in re manifestissimâ diceret, præter mendacium, satis inueniens: quis precor, inquit, credulitate tuâ sic abusus, mater? Egóne eâ crudelitate, vt te deserã? Amicum hîc vides: (nam amica cũ puero latitabant in nauigio) sine me cum eo, donec vento facto enauiget: Tu tãtùm ad S. Cypriani sacellum pernocta hanc noctem: & luce proximâ, si dîs placet, vnâ regrediemur: sic mentitus est matri; & tali matri; clanculumque eâ nocte excessit, euasit, erupit. Aduentante vero diei sequentis Aurorâ, natum vt abiisse vidit,

Augustinus mentitur matri, & clam discedit.

—*& vacuos sensit sine remige portus;*

exanimis concidit moribundæ simillima: quæ vt loqui potuit, heu! dicebat, miserrimæ matris fili miserrime! sed quid filium voco? quid matrem dico? ne nouerca quidem tibi sum;

Adfectus materni.

Perfide; sed duris genuit te cautibus horrens

Cau

Caucasus, Hyrcanaq; admorunt vbera Tigres.

Et nunc, forsitan, secutuleiæ mulieris adtritus prurigine, solitudinem, soliçitudinemq; deridet meã.

Hæc effata sinum lachrymis impleuit obortis.

Rursusque factis induciis cum fletu, post iteratam accusationem fallaciarum filij, conuersa ad Dominum, & ad solita reuersa est.

Sunt qui pessimæ conditionis & desperatæ, vt ita dicam, malitiæ Augustinum fuisse ferãt, quòd hęreticus, quòd matris illusor, quòd transfuga, gloriæ mancipium, & concubinę fuerit accubus. Vtinam tam candidę in mentem admittant seueri illi rerũ censores, quàm simpliciter ab eo gesta sunt omnia! Sectariolus fuit? parcite, Veritatis specie delusus fuit. Concubinæ accubus? permissum fuit. Gloriæ mancipium? posteà doluit & emẽdauit. Matrem fugit? nonquam animo seiunctus est, nonquam penitùs

Augustinus leuiter excusatus.

nitùs reliquit quã penitùs dilexit, cui ne verbo quidẽ vnquàm insultauit Nã etsi hoc loco, obiurgat illa, *fallaciarũ* & *crudelitatis* accusans *more matrûm*; lõgè aliter pacata, & iã morti proxima locuta est. Nati confessionem aduoco: *Gratulabar quidem testimonio eius, quod in eâ ipsâ vltimâ ægritudine, obsequiis meis interblandiens, appellabat me pium: & cõmemorabat grãdi dilectionis affectu, nonquàm se audiuisse ex ore meo, iaculatum in se durum aut contumeliosum sermonem.*



DISSERTATIO DECIMA.

Romæ de vitâ periclitatur: Ibidem docet: Mediolanum aduocatur: Concionibus Ambrosij motus, nec Manichæus, nec Catholicus efficitur: Matris illuc aduentus, qualis.


IX benè Romani cœli solú ingressus, sortitusque Manichæum quendam in hospitē, cùm febribus correptus, ad necessitatem mortis penè deduceretur. Quis ergò ab institis hūc exsuscitauit Lazarum? Corpus humo, Orci hamo anima deuota; nî mater Christo deuota, iam iam ad Inferos labantem precibus, vt credibile est, erexisset: quæ absens absentem, maiore curâ, parturiebat spiritu, quàm carne pepererat.

Corpore postmodùm meliore, agere adgreditur quod acturus venerat: & adaperto ludo plures sibi discipulos cogere. Verùm, magno suo incommodo, agnoscere paulatim cœpit, Carthagine quidem petulantiùs, Romæ autem perfidiùs agi. Nam, quod minimè sperauerat, conspirabant adolescētes perditissimi: & pactam magistro mercedem deprædantes, ad alium transuolabant, vbi tempus *Augustini discipuli, decipuli.*

pro

promissa perfici. Has tamen iniurias generoso decoquens pectore, mellitam oris facundiam nihilò tepidior venditabat: exiguoque tempore sic omnibus innotuit, sic præ reliquis enituit; vt Symmachus vrbis præfectus præuiâ certaminis electione, singulis antagonistis eũ præposuerit: & in eloquentiæ moderatorem, Mediolanensibus petentibus, proposuerit. Per id temporis fortè ad Consulatum Bauto euectus erat: ne sileret sine encomiis & laude dignitatis hilaritas, Augustino aduentanti Mediolanũ, dicendi prouincia fuit tradita: & buccis resonantibus, prçsente Valeriano Imperatore, Consulem, loci consessum, pulpita sua, seque ipsum decorauit.

Mediolanum vocatus orat corã Imperatore. Magnum oratorem, magnus ille vrbis Antistes Ambrosius suscepit & dilexit satis episcopaliter. Amoris vices reddebat alter, adfectumque pari pensabat adfectu: si quando publicè doceret, curiosior

rioſior eius ab ore pendens Aurelius aderat, perpēdens nō quàm verè differeret, ſed an diſertè, & Fauſto ſuauiùs diceret. O diuini eloquij vis mira! vnà cum verborum melle; rei veritas in pectora fluebat: *& veniebant in animum meum, ſimul cum verbis quæ diligebam, res etiam quas negligebã. Gradatim quidem: nam primò etiam ipſa defendi poſſe mihi iam cœperant videri; & fidẽ Catholicam, pro quâ nihil poſſe dici aduerſus Manichæos putauerã, iam non impudenter aſſeri poſſe exiſtimabam: maximè, audito vno atque altero, & ſæpius ænigmate ſoluto de ſcripturis veteribus.* *Lib. 5 c. 14. Conf.*

Fidem Catholicam damnabat, nec damnabat: plus tamen ſolito probabat. Et variè vtrinq; pugnātibus legum argumentis, ita Catholica nō victa videbatur, vt nondum etiam victrix:

Sic ſtat, & incertus quâ ſit ſibi neſcit eundum; *Mantuanus.*
Dum videt ex omni parte, viator, iter.

Non

Non tacebo quid super hâc eius commotione dicat S. Dacius lib.1. Chron. 10. cap. *Cùm D. Ambrosium de Incarnatione disputantem inuenisset Augustinus; oblitus sui, suarumq́ harum cogitationum, pallens ac tremens, omnibus videntibus qui aderant, obriguit.*

Sectatur Academicos Augustinus.

Partim excussisse iugum Manichęorum videmus: Piratarúmque compedes quasi euasisse audimus. Quid tum postea? Quem portum leget? Quem patronum eliget? respondet ipse: *Traiecto isto mari, gubernacula mea repugnantia omnibus ventis, in mediis fluctibus Academici tenuêre.*

Lib. 1. de beata vita.

Dum incertis hinc inde opinionum procellis exagitatur, certis marium aduecta Zephyris sollicita Monica Romã venit: & inde Mediolanum. O fœminam supra sexum! Quam vt vidit Augustinus, substitit primò, quasi quodam mõstro aut nocturnâ territus imagine, Collecto deinde, sicut potuit, spiritu,


ſpiritu, irruit in amplexus, & ſtrictiſſimis matrem inuaſit baſiis. Diu neuter vocem inueniebat: nam & ipſe ſingultibus crebris durum pectus quaſſabat. Prior illa: O facinus, inquit, indignũ! quòd amo te, quamuis relicta! & in hoc pectore cùm vulnus ingens fuerit, cicatrix non eſt. Quid ais? transfuga; dignáne hac iniuriâ mater fuit? Ille, vbi ſe amari ſenſiit, cœpit audienti multa narrare: quantum alloquiis Ambroſij profeciſſet; quàm Manichęana dogmata improbaret: & poſtremò cùm dixiſſet, veritatem quidem, ſe nondum adeptum, ſed falſitati tamen ereptum; Monica *placidiſſimè & pectore pleno fiducia, reſpõdit credere ſe in Deum, quod priuſquam de hac vitâ migraret, viſura eſſet fidelem Catholicum.*

Monica vaticinium de conuerſione filij.

DIS

DISSERTATIO VNDECIMA.

Conuersum penitus ad fidem: Quomodo: De eo opiniones & sensus virorum etiam doctorum, erronei: & quare.



Ic mihi noua scribendi materia, noua cautio. Hactenùs, Augustini peruersionem satis depinxi, modò cõuersionis ingredior campum; quasi arenam: vbi parata in caput meum diuersa aduersæ opinionis tela. Volunt enim quidam paganicis erroribus inuolutum semper fuisse, donec diuinæ vocis conuerteretur admonitu. Parùm versatè. Distinctè namque duplicem eius conuersionem haud aduertentes, omnia confundunt, & miras meridianæ luci tenebras effundunt imprudentiùs. Atque vtinam tantùm vulgus falsa

Error penè omniũ qui de Augustino scripserunt.

fallatur! Sed & in hoc Circo Literarum Atletæ & Atlantes, arma mouent non vnâ manu. Quibus quis contra tendat? Ego homuncio hoc faciam? rei certè veritas, quã ſcio, ſuaſit, traxit, impulit, volentem, nolentem. Pareo: tu tantùm propitia mihi eſto, ô dea Fides, vt apud omnes inueniam fidem.

Duplex igitur Auguſtini conuerſio fuit, prior ad fidem, altera ad Monachiſmum. Ad hanc, vocauit diuinæ vocis clamor: ad illam, ſupernæ lucis radius: & vtramque clauſit Baptiſmus. Ab indiſtinctâ huiuſce rei cognitione, mala multa, & fundi noſtri profunda calamitas. Quaſi verò ad fidem motus penituſque conuerſus non ſit, multò ante vocis monitum. Hanc audiiſſe ſe 8. demùm lib. cap. 12. fatetur; ſed DIVINA LVCE, diſcuſſas in fide fidei tenebras lib. 7. clariùs ſcribit. Nec ſuppono cuiquam, nî ipſemet Deo (quod abſit) impo

Duplex Auguſt. cõuerſio.

Viſâ luce quâdam diuinâ cõuertitur ad fidẽ, non autẽ voce illâ TOLLE, LEGE.

imponat, quem sic alloquitur cap. 10. *Intraui in intima mea, duce te; (& potui, quoniã factus es adiutor meus:) intraui, & vidi qualicumque oculo animæ meæ, supra eundem oculum animæ meæ, supra mentem meam, lucem Domini incommutabilem.* Qualis illa? solitan' an insolens? *Grandior erat, tanquam si multò multoq́ue clarescceret.*

Apud Isayam, Seraphim faciem & pedes sedentis in throno vmbrabant alis, non potentes pati radios. Et hanc lucem irretortis oculis videbit Augustinus? quin fatetur liberè *contremui amore & horrore.* En Saulũ equo deturbatum, qui fulmine amictus; *Domine,* clamat, *quid me vis facere?* Ezechielem mathematicum solis digressus ad Deum duxit: Gedeonem, vellus: Moysem, rubus: Magos, stella: Petrum, piscium abundantia: Paulum lux cælica: postremò, vt canit Gersonius,

Antonium talis Augustinũq́ue vocauit,

Lux,

Lux, & quamplures desuper irradians.

Ab hoc radio propulsæ errorum omnium tenebræ; clarent omnia; *& non erat prorsus*, inquit, *vnde dubitarem.* Nódum illa vox TOLLE. LEGE. superis intonuit; & tamen, ita se certum fatetur in lege, vt certior fieri non postulet.

Quid ergo, inquiunt, auditâ demùm voce, *omnes dubietatis tenebrę diffugerunt?* sed *dubietatis* de vitâ, non de Fide. In hac enim certus, certam viuendi non credendi rationem quæsierat; diúque versatus est in biuio rei vxoriæ & cœlibatus, partem quam vellet, nolet sequi, ambigens. Quid pluria? nondum vox illa cœlitùs audita, TOLLE. LEGE. cantare tamen cœpit; *nónne Dęo subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meū: etenim ipse est Deus meus, susceptor meus, non mouebor amplius*: in Fide scilicet, quam certam repererat. Nondum, vox illa TOLLE. LEGE, Obiectio.

superis

superis intonuerat, & tamen, *Inhæserant præcordiis meis*, clamat ad Deum, *verba tua & vndique circumuallabar abs te.* Pudet Manichæum fuisse: pœnitet errasse: *placet via ipse Saluator.* Modum quærit quo eam terat: in hoc totus sudat: in hoc totus est: Antistitem iam accedit, vt vacat, non sophisticis, pro more, armatus argumẽtis. Ad Simplicianum pergit, virum sanctitate quàm doctrinâ clariorem: nõ Gordianos hæreticorũ laturus nodos, sed prolaturus, dumtaxat, æstus animi sui, religioseque quæsiturus quis esset modus sic adfecto, ad sectanda Domini vestigia. Postremò audiendus quid de infidelibus sentiat: & quomodo se de Fide sẽtire confiteatur eodem loco: *Vani sunt certè omnes homines quibus non inest Dei scientia: nec de his quæ videntur bona, potuerunt inuenire eum qui est. At ego iam* (visâ luce ante auditam vocem) *non eram in illâ vanitate: transcenderam eam, & contestante*

vniuersâ


vniuersâ creaturâ tuâ, inueneram te creatorem noſtrum, & verbum tuum apud te Deũ, tecumq́ʒ, cũ Spiritu ſancto vnum, per quem creaſti omnia. Deus bone! quàm apertè! næ, corio Elephanti circumamictus eſt, qui hoc non ſentit: cæcus eſt, qui LVCIS huius effectum non videt: ſurdus, qui tam clarè ſonantia non audit.

At credentem quid vetat baptiſari? quia *de ſæculari vitâ nutabant omnia.* Quis moleſtiam illam pedibus eius abſtulerit; cœlibatúmque & Monaſtica vota, quis Fidei coniunxerit, porrò audiamus. *Cur differat baptiſmum cùm iã ſit fidelis.*

DISSERTATIO DVODECIMA.

Cur, & quâ in re Simplicianum eumq́ʒ Monachum cõſulat: an pro fide, an pro vitâ ſæculari conſtituẽdâ: vtriúſque colloquia expoſita.

Simplicianus quis.



SVASV Ambrosij Simplicianum accessit, vitæ solitariæ cultorem, Antistitis amicum, & aliquãdo in accipiendâ Christi gratiâ, patrem. Fuit ille vir, qui oculos Augustino aperiret, detersâ mundanarum aliquot opinionum nube: ille, qui iter monstraret; quà, sine ambage, ad Religionis asylum iretur. Cui, cùm Aurelius de errorum suorum circuitu liberè ac verè multa dixisset; iactatum se iam tot annos vitiorum æstu; addidit infusam sibi diuinitùs LVCEM, quæ errorum caliginem penitùs detegeret. Nec iam certiorem in fide, sed stabiliorẽ fieri velle. De suâ demùm sæculari vitâ nutare omnia: & velut in vndoso mari, agitari se non vno vento. Quid enim, dicebat, re in incertâ certi faciam? Christiana placet Religio? Ecce, interpellat malæ libertatis consuetudo. allicit Castitas? inueterata vetat sequi Libido. Quis viuendi modus sic adfecto? dic sodès, Pater. —Ille,

Vide lib. 8. Conf.

—— Ille os,oculosq́; loquentis
Iamdudum , & totum lustrabat lumine corpus;

Tandemque: O vir, inquit, amice, imitùs & animitùs adgratulor,quòd ab infaustis illis, infestisque hæreticorum dogmatibus,animum liberũ huc feras: vtinam & in cæteris constantem ! Nimium scilicet , fæmineus es,& vitio indulgens tuo. Excutienda illa animo mollities , quæ mentem dementat tuam , nî caues. Patentes Syrenum & voluptatum cantibus aures præbes? mancipium es:& auratam, fateor , sed catenam tamen patiêre. Quin , veram illam licet seuerã Castitatis & Humilitatis sapientiam amplectere;cui seruire,regnare est. Humilitas bellatrix vitiorum est. Hanc victricem admitte:& inueteratos adfectus, quibus sedes,imò regnum est in animo tuo,debellabis. Castitas , virtutum regina est; & beatam vitam efficit: quam si sequeris,motus deprauatos fugas, fugisque. Audin' vocantem

Adhortatio ad castitatem & humilitatem.

Dominum? *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiā vos.* Nec inuia hæc est via, quam ante te multi calcauêre. Vt cæteros taceam. M. Victorinum cogita, virum inter Italos literatissimum, tot nobilium Senatorum doctorem; cuique ob insigne præclari magisterij statua (quod eximium putant) in foro Romano statuta fuerat: Illū, inquā, cogita: *Non erubuit puer esse Christi, subiecto collo ad humilitatis iugum.* Tacebat hîc. sciscitanti autem Augustino, quibus gradibus ad eum peruenisset apicem, sic perrexit senior: Sacras literas legebat studiosissimè: & sæpe mihi, non palam, sed secretiùs; *Noueris*, inquiebat, *me iam esse Christianum.* At ego: *non credam, nî in Ecclesia Christi te videro.* Ille contra, ridēs quàm familiariter: *ergóne*, respōdebat, *parietes, Christianū faciunt?* Eadem inculcanti, eadem semper reculcabam: & *ab illo sæpè parietum repetebatur irrisio.* Tādémque aliquandò; *Eamus in Ecclesiam,*

Marcus Victorinus: quis.

dixit,

dixit, *Christianus volo fieri.* Perrexi vnà, vix me capiens præ gaudio. Itaque relictâ Suadâ loquaci, impatiẽtibus amicis, mirante Roma baptizatus est. Sic ille Mundo expeditus. Te, verò, quid adhuc moratur? Proiice ista quæ te retinent omnia: proiice si sapis, immò vt sapias: & magno cursu totísque viribus fluctuãtem nauim flecte ad hunc portum, vbi securitas, vbi salus habitat. Sermonibus hisce paulò erectior Aurelius: Alta & pręclara tua monita, respondit, ad persuadendum & inuitandum; & iam exarsi ad imitandú: conorq; sequi; sed vt ij ferè qui in somnis, casso nisu. Alligor enim, Simpliciane, nequid mentiar, alligor, non alieno ferro, sed meâ ferreâ voluntate; quâ, veluti catenâ, solito mearum affectionum Caucaso adfixit Castitatis hostis. qui quidẽ vtinam tam innocens esset vt deliniri posset! nunc veteraneus est latro, & ipsis lenonibus doctior. Quippe peruersa voluntas euasit in


libidinem; hæc in consuetudinem, quæ mihi necessitatis imposuit iugũ. ô seruitus! Durę illæ diræque libidinantium adfectuum aues, pectus, heu lancinant meum! Quoquò voluor, eodem reuoluor. Dixit: & lachrymans senis alloquio sese subduxit.



DISSERTATIO DECIMATERTIA.

Auditâ Antonij conuersione, & aliorum Eremitarum conuersatione, ad Monachismum monetur plurimùm: Et quo medio.

De vita sæculari adhuc dubius August.



B alloquiis tanti viri, noua quædam voluntas esse cœperat, vt Deum gratis & castè coleret: sed illa nondum idonea & herculea satis, quæ prioré vetustate roboratã supera

peraret. Venus enim improba, etiã ſeſe improbantem rapiebat, vt magnâ plus parte pateretur nolens, quod volens faciebat. Solitò quidem aduerſus carnem pugnacior ſpiritus. Illam fouebat adhuc, etſi non fauebat: fouebat tamen quaſi modò & modò dimittendam: ſed modò & modò non habebant modum.

Recrudeſcente in dies ſolicitudine, debilitatus animus corpori languorem infeſtum conciliabat, faciei pallore manifeſtum. Quem vt in cubiculo fortè ſedens aduertit contubernalis Alipius, cauſſę haud ignarus, cœpit hortari, quàm familiariter: ne ſe dolore ſuperuacuo & nihil profuturo maceraret. Ecquid proderit hoc tibi, inquiés, ſi ſolutus curis fueris? ſi antequam fata poſcant indemnatum ſpiritum effuderis? Crede mihi: hanc moleſtiam niſi vitas, tute ipſe euitas. Nihilne vir ille magnus profuit? Si quid-

quid in te est, huic extinguendæ flammæ impendisti: age, in vtramque aurem obdormi; & illi sit ista cura curæ qui supra nos curat. Non respondes?

Virg. 1. Æneid. —*Quærenti talibus, ille*
Suspirans, imóque trahens à pectore vocem:

Facilè, subiecit, cùm valemus recto cōsilio ęgrotis adsumus: tu si hîc sis aliter sentias: hæc & alia Simplicianus nuper, quæ tu modò. Sed quid?

—*Video meliora, probóque;*
Deteriora sequor.——

Plura volebat proferre credo & grauiora; cùm ostium non satis audaci strepitu impulsū, crepuit. Apertæ illicò fores, admisêre intrantem. Erat autem Afer quidam nobilis, *Potitianus quis.* Potitianus nomine; quem vt à limine vidit Augustinus, surrexit: &, tu eras, clamabat, mi Potitiane? simulque collum inuasit. Datâ acceptâque patrio more salute: rogatus

saná

ſanáne & ſalua ſatin' omnia : mea quidem,pro votis,omnia;reſpondit, Potitianus: ſed quid te fimbriatâ fronte video? & liuida illa facies ſiniſtri nonnihil portentat mihi: Nec Saturnum accuſem,ſed hunc Apollinem potius: ſimúlque *codicem* quendam è *mẽſa luſoria* quæ ibi ſtabat, ſuſtulit; Et hic eſt, inquiens, amicus ille hoſtis,quem dum improbè voluis & tangis, male te angis. Moto leuiter capite renitebat Aurelius:cùm ille aperiens, ratus ſcilicet, de Eloquentiæ lenonibus vnum, Apoſtoli Pauli ſcripta agnouit. Et arridens:benè benè, dixit, adgratulor quod eæ & ſolæ præ oculis tuis literę,quarum fidem ſit amaueris,& te quoque Fides. longóque & accurato orationis contextu,cœpit multa de Paulo narrare, vas electionis, Eccleſiæ Pharum illuxiſſe: ſed & alios quidẽ ſubluxiſſe complures; quorum grege,recẽti memoriâ Antoninum memorabat, Monachum Ægyptiũ, ſæculi ſui ſanctitate Phę-

nicem: cuius iam nomen Christianis quasi numē erat. Addebat qualiter ad Deum conuersus, & qualiter in Eremo conuersatus.

Indè sermo eius deuolutus est ad Monasteriorum greges: quales & quàm frequentes in Ægypto, Germaniâ, Italiáque essent, referens. Stupentibus ad hæc illis, & propè temporibus suis testatissima Dei admiranda ignorātibus, subiecit: si nescitis: *Mediolani, monasterium plenũ bonis fratribus est extra vrbis mœnia, sub Ambrosio nutritore.* Sed & his pluria addebat: rem præsertim suâ memoriâ factam, quam & expositurum se esse, si vellent audire. Immò verò, rogamus, responderunt: &, si permittit amicitia, oramus. Itaque cõuersis vtriusque in se vultibus sic orsus est: Venerat aliquandò Treuiros Imperator: vbi dùm pomeridiano Circensium spectaculo detineretur, ad hortos muris contiguos, spatiabantur aulici complures, mixtim hinc indè combinati. E quibus duo

duo dum errabūdè, quod ſit, vagantur, in quādam cellulam deuenêre: quam inhabitabant quidam *ſerui Dei ſpiritu pauperes, qualium eſt regnū cœlorum:* ibíque codicem, qui de vitâ Antonij erat, inuenêre. Placuit eius lectio: & inter legendum (quis credat?) cœpere meditari vitā conſimilem. Et alter, à libro reflexis in ſocium oculis; dic, quæſo te, ait: iſtis laboribus noſtris, quò tendimus? quò ambimus? cuius rei cauſsâ militamus? quid quærimus? quid optamus? ſublimiúſne ſpes noſtra tendat, quàm vt amici Imperatoris ſimus? Et ibi, quid non lubricum aut fragile? quid non periculis obſitum? per quot periculorum gradus, peruenitur ad periculum grandius? Amicus autem Dei, ſi voluero, ecce, nunc fio. Mutabat interim Auguſtinus frequentiſſimè vultum, erubeſcente haud mediocriter Alipio. tamen quaſi ſuam non agnoſceret ſibi decantari fabulam, ſiluit; & ſcenæ exitum tacitus expectauit.

Treuiris multi e: mita, ante tempora Augustini.

Hæc locutus reddidit oculos paginis; ſed interlectis pauculis, idem ille exclamauit: Ego ſęculi ſpem omnem abrumpo; hoc loco, hac horâ, Deo ſeruire adgredior; Te, ſi piget imitari, ne aduerſeris. Ingemuit altér; & igne pari ardens ardentem ſic eſt affatus amicum: Ne me ſocium ſummis adiungere rebus fugias:

Virg. 9. Æneid. *Eſt hic, eſt animus lucis contemptor, & illum*
Qui vitâ benè credat emi, quò tendis, honorem.

O ſancta conſpiratio! Hinc admoniti (nam eò deuenerant alij complures ex aulâ) vt iam nocteſcente die redirent; narrato ſicut erat placito, petiuerunt ne ſibi moleſti eſſent. Abierunt itaque alij non ſine lachrymis: Hi verò cæleſtibus inhiare magis magiſque perrexerunt. Sponſæ quoque, dicatis ſibi maritis generoſitate certantes, caſtitatem Deo vouerunt. Sermonem terminans Alipius: Næ, inquit, ille vitam

ducet

ducet cœlitem, qui cœlibẽ. Statimque ab extremâ parte verbi surrexit Potitianus, & vtroque valere iusso, parauit domuitionem.

Remoto arbitro Augustinus, tam vultu quàm mente turbatus: *Quid est hoc*, exclamat, *quod audisti? surgunt indocti & cœlum rapiunt, nos autem cum doctrinis nostris, sine corde, ecce vbi volutamur in carne & sanguine.* Euah! dixit, & cubiculo gemens penéque demens egressus est. Nec minus Alipius non minus *Lib. 8. c. 8. Confess. August. arguit sua Veneris infamiam.*

—Casu perculsus iniquo
Prosequitur lachrymans longè & miseratus amantem est. *Virg. 6. Æneid.*

DISSERTATIO DECIMA QVARTA.

Auditâ, voce diuinâ ad Monachismum penitùs conuertitur.

Hortu-

Aug. turbatus in hortum abit.


ORTVLVS erat hospitij, arboribus & hortis non inamœnus. Huc tumultuantis pectoris æstu delatus, sese prostrauit. Tum verò mali sui præsentis gnarus; futuri boni ignarus, insanire cœpit salubriter, & mori vitaliter: indignatione indignâs, turbulentissimâ semi-sauciam huc, atque illuc incertò versari voluntatem. Hoc reluctantis animi motu, quid fecit? quid non fecit? Capillum vulsit, frontem perfricuit, pectinatis articulis genu complexatus est; aliáq; exercuit quæ minimè decuissent Aurelium, si sanus fuisset. Secum contendebat: à se ipso dissipabatur; volens, nolens; nolens, volens eadem. Nec planè volebat, nec planè nolebat; cùm æternitas delectaret superiùs, voluptas retentaret inferiùs. Illa placebat & vincebat: hæc libebat & vinciebat. Sic hęsitabat Morti mortem mori, vt Vitæ vitam viueret: quia ampliùs valebat deterius inolitum, quàm melius in-

soli

ſolitum. Itaque in ſe ſtabat, nec ſtabat, ſed cunctabundus miſer pendebat miſerrimè. Eheu! tantámne homini de ſe ipſo, aduerſus ſe ipſum controuerſiam reperiri?

Ergò vbi omnem in ſe ſuam expectorando congeſſit miſeriam; ingens lachrymarum imber proruit. quem vt totum effunderet liberiùs, ab Alipio, qui inuſitati motus exitum tacitus opperiebatur, ſurrexit, vocem fletu grauidam ſigno, neſcio quo, prodens. Stupens remanſit alter; hic remotior ſub arbore fici ſtratus, lachrymis demùm habenas laxauit omnes. & inter tot altiſſimos, interruptiſſimóſque contriti cordis ſingultus: *Quãdiu,* dicebat, *quamdiu cras & cras? Quare non modò? quare non hâc horâ, finis turpitudinis meæ?*

Sedet ſub ficu & in lachrymas erũpit.

His aliiſque planctibus ægrum pectus quaſſabat, lachrymis vbertim prorumpentibus, Deum inuocans: cùm, ecce, è viciniâ, pueri an puellæ canentis vocem audit: TOLLE. LEGE. TOLLE. LEGE. Confe-

Vocem audit diuinitùs.

ſtimque

timque permutato vultu intentissimus, cogitare cœpit solitúmne pueris inter ludendum cantare tale aliquid. & quia non occurrebat; ratus, quod erat, diuinitùs sibi iussũ vt aperto codice quod primum oculis oblatum capitulum foret, legeret: surrexit, aperuit, legit id Apostoli Ad Rom. 31. NON IN COMESSATIONIBVS ET EBRIETATIBVS: NON IN CVBILIBVS ET IMPVDICITIIS: NON IN CONTENTIONE ET ÆMVLATIONE: SED INDVIMINI IESVM CHRSITVM; ET CARNIS CVRAM NE FECERITIS. Statímque ab extremâ parte sententiæ, *omnes dubitationis tenebræ diffugerunt*. Re vt erat auditâ, Alipius librum rogauit, exploraturus lectionis sequelã, vbi sic, INFIRMVM IN FIDE ASSVMITE. Et vides Augustine, clamabat, hoc etiam mihi conuenire & dici? tali obfirmor monito, tibiq; cõformor; tu sequentem non adspernabere:

Planè de liberat amplecti vitã cœlibem & monasticam.

Fellea pestiferi discedite gaudia mundi;

Æter

Æternum valeas, orbis amare mare.
O mare amare orbis! dubias fugiamus vt vndas,
Chriſtus ab excelſo ſydere clamat, amat.
Chriſtus amat? ſi Chriſtus amet redamemus amantem.

In ipſo pronunciationis punctiſtitio dictionem imperfectam abrupit aduentus matris. Diceres ab eâdem voce monitam fuiſſe Monicam. *Aug. matri narrat factũ & votũ.*

Ad amplexum cucurrit Auguſtinus; & ſalue, inquiẽs, bis mater; à nato tandem renato, iam ſalue. ſimulq́ue rem aperuit ordine: *exultat* illa, *triumphat*, Deum benedicit qui potens eſt votis maiora præſtare & facere. Et iniectâ manu, filium verè bis genitum, Alipio comitante, deduxit in triclinium.

DISSERTATIO DECIMAQVINTA.

Non eſſe vocatum ad Fidem hâc voce TOLLE.

TOLLE. LEGE. *pluribus monstratur.*



RVRSVS ad præliandum gradus compono: Parata enim contra me verba & nodorum tricæ, quibus arceatur à Monachiſmo Auguſtinus, ſi malè doctis quibuſdam creditur. Prodeo itaque ego vel Inuidiâ iudice monſtraturus diuinæ vocis monitu, nō ad fidem, ſed ad cœlibatum Monachiſmi vocatum fuiſſe.

Conuerſionis huiuſce ſuæ principium narraturus, ſic inchoat lib. 8. Conf. c. 6. *Et de vinculo quidem deſiderij concubitus quo arctiſſimè tenebar, & ſæcularium negotiorum ſeruitute, quomodò me exemeris narrabo & confitebor nomini tuo, Domine adiutor meus.*

Primum argumētum. Ab alloquio verò Simpliciani vitæ caſtę deſiderio captus erat, de Fide nihil dubitans: *Quotidie*, inquit eodem cap. *ſuſpirabam tibi, frequentabam*

tabam Ecclesiam quantùm vacabat ab eis negotiis sub quorum pondere gemebam. Non habebatur Christianus, is qui Ecclesiā fugeret, dicēte Simpliciano: *Non credam, nec deputabo te inter Christianos, nisi in Ecclesiâ Christi te videro.* Ideóque Victorinus iam conuersus, aiebat: *Eamus in Ecclesiam, Christianus volo fieri.* Vt autem ostendat Augustinus profecisse se sub Simpliciano, fidémque adeptum: *Frequentabam*, dicit, *Ecclesiam:* non vt anteà explorator & censor Ambrosianæ facundiæ, sed vt *Deo suspiraret quantùm vacabat à negotiis.*

Ante conuentum Simplicianum, infusâ nondum diuinitùs luce, continentissimum Alipij pectus hisce laudibus decorauit: *Prohibebat me sanè Alipius ab vxore ducendâ; ita vt mirum esset; quia, vel experientiam cōcubitus cœperat in ingressu adolescentiæ suæ: sed non inhæserat, magisq́; doluerat, & deinde continentissimus viuebat: ego autem resistebam ei.* Cur au- *Aliud.*

tem

tem hoc rursus loco eundem amicũ memorat? quare vnà se viuere, eodémque tecto gaudere toties dicit, nisi quia iam castitatis lucta est? Pudentissimi viri sibi proponit exemplum: vt sic, tanquam illo vidente viueret; & omnia tanquam illo spectáte faceret: quíque non spectatus tantùm, sed vel cogitatus emendaret.

Aliud. Nepotiano mirante, quod Apostolum Paulum præ oculis haberet: cur, aut vnde, *deuolutus sermo ad Monasteriorum greges, & mores suaueolentiæ*, id est, castitatis? Certum est de eâ Augustinum aliquid dixisse, & in medium quasi colloquij materiã protulisse. Primùm de Pauli codice: quid ad rem attinuit posteà de Antonio & eremitis tam multa narritare? Potitianus aulicus erat, multarum gẽtium expertus mores; familiaritate gaudens quottidiè virorum heroum; quibus natum aut partum, accuratè multa de venatione, bellis, stratagematibúsque nosse, & memorare

rare memoriter: de monachis quotusquisque eorum, qui nouit? Domóne allatum hunc sermonem, & præmeditatò obtrusum credam? à viro aulico? caulicum fuisset, dicentis ore, & audientis aure indignũ. Strauit itaque viam ad eum Aurelius, volénsne an sciens, nescio: diuino tamen suggerente fato. Nam si *deuolutus*, non quæsitè obtrusus; at poscente catenati colloquij contextu, serptim, non exultim, delatus in medium.

Aut, si est vt dicunt; cur de monachis instructa narratio, & non potius de conuersis infidelibus facta? Delirat agricola, qui spinis inauulsis, plantat: Tale aliquid Deum fecisse docent, qui pagano adhuc, vt putant, castitatem commendet. *Aliud.*

Vbi ad Antonij miracula ventum, adtentissimis auribus dicentis ab ore pendebat; *quia tam magna erant*, vt lecta & audita, aulicos à sæcularibus secreuerint, & in Eremo constituerint. *Aliud.*

Quo

Quorum exemplo, quid extemplò profecerit, audiamus: *Tunc verò,* (verba sunt li.8. Conf. c.7.) *quātò ardentiùs amabā illos de quibus audiebam salubres adfectus* : (in Monachismum) *quòd se totos tibi sanandos dederant, tantò execrabiliùs me comparatum eis oderam.* Cur *totos* dixit? quia nempè Christianus sæcularis, partim Dei, partim sæculi est. Religiosus contrà (quales aulici illi, quos memorat) Dei totus est. Nec fallitur hinc Gersonius:

Antoni, Pater es Augustini: tua vita
Lecta, dedit Christum totus vt esset amans.

Aliud. Quare autem sese comparatum illis oderat, subiungit: *Venerat dies quo nudarer mihi; & increpabat me conscientia mea.* Quibus verbis è superioribus hæc adnecto: *& constituebas me ante faciem meam* (Deo loquitur) *vt viderē quàm turpis essem, quàm sordidus, & maculosus, & vlcerosus.* Quæ addita, infideli non con-

ueniant ſatis propriè. Venus ſordida eſt, maculoſa & vlceroſa: nec alio titulo à Poëtis verè loquentibus inſignienda.

En, aliud in mentem occurrit: Nepotianus *fidelis erat; & ſæpè proſternebatur in Eccleſiâ longis & diuturnis orationibus.* Vt quid ergo cõuerſationis Monaſticæ canit exempla? Cur non potius conuerſionis infidelium ad fidem? Nempè hoc nouerat vulgò quod dici ſolet: *Septimũ argum.*

Non opus eſt celeri ſubdere calcar equo.

De Fide iam certum eſſe Potitianus eum audierat; ſed adhuc lance dubiâ in cœlibatum propendêre ſuboluerat.

Denique ſi nondum conuerſus ad Fidem; vide quantam Auguſtino maculam inurant hi ſcioli, qui volunt tantum hominem, cõſiliis Euãgelicis fidem poſthabuiſſe? nam cur hâc neglectâ totus illis inſudaret? Cur ità dolet, vt alios ſibi, non ſe aliis vitæ cœlibis exemplum fuiſſe *Octauũ argum.*


inge

ingemat? *An quia præcesserunt*, inquit, *pudet sequi? & non pudet non saltem sequi?* Nec illi ad Fidem præcesserãt, sed ad Monachismum processerant.

Postremum argum. Tandem: si infidelis adhuc: quid cœlibatum poscit? quid Monachismum aliis, quasi inuidet? quid eorum catalogo adscribi postulat & ardet? Nil lupo cum ouibus: Nullum luci cum tenebris cõmercium: Insanire fuit, furere quo frui nefas. Tale in eo fuit, si nondum adeptâ Fide, Monachismum ambiit.

Obiectio. Quid ergo ad baptisma properãtem tardat? quæ illi Remora in mora est, si non Hæresis? Dicet ipse lib. 8. Conf. cap. 9. *Retinebant me nugæ nugarum, & vanitates vanitatum antiquæ amicæ meæ.* Hæ sunt Syrenes, quæ vocis suæ lenocinio sistunt in cursu: poma illa, quæ Atalanteum impetum frangunt: aues illæ, quæ dubium pectus lancinant. Et vbi Harpiis illis Zetes? vbi Promethæo isti, Mercurius aut Minerua?

na. Non certè Fides fuit, quæ liberaret, verùm (loquentem verè inducam,) *casta dignitas Continentiæ, serena,& non dissolutè hilaris, honestè blandiens, vt venirem* (ad cœlibatū) *neque dubitarem: extendens ad me suscipiendum & amplectendum, pias manus plenas gregibus exemplorum.* Qui greges illi, docet posteà: *Ibi tot pueri & puellæ, iuuentus multa,& omnis ætas; & graues viduæ, & virgines anus.* Non sic in Fidei biuio hærens, vocandus. Ad Fidem properanti, *non vanitates vanitatum antiquæ amicæ,* sed Manichæorum cunei opponendi fuerant. Debuit Faustus, aut eo doctior aliquis, argumentorum tricis inuoluere. Abite pueri, puellæ, iuuentus, viduæ: nîl vobis cum Augustino, si adhuc laborat infidelitate. Quin, adeste potius; & quos vestro partim medio aduersarios oppugnaui, vobis saltem præsentibus, iam nunc expugnabo.



DISSERTATIO DECIMASEPTIMA.

Tandem validißima argumenta ad idem: Discussa verba Apostoli & Monica.



IAM date mihi hominem communi ſenſu non deſtitutum,

Poſſit qui lapidem aut puteum vitare patentem,

certis conuincam argumentis non ad Fidem, ſed ad cœlibem vitã, vocatum voce supernâ Auguſtinum.

Nos Monachi tria vota profitemur, Paupertatis, Caſtitatis, Obedientiæ. Quæ tria, & ſola, verbis Apoſtolicis apertiſſimè cõmẽdantur: *Non in comeſſationibus & ebrietatibus*, ibi Paupertas. *Non in cubilibus & impudicitiis*, ibi Caſtitas. *Non in cõtentione & æmulatione*, ibi Obedientia.

Verba Apoſtoli ſuadere tria vota Monaſtica.

dientia. De Fide : en, ne verbum quidem. Quæ ex his confirmatio dubitantis in eâ? quæ mens, quis verborum ſenſus? quæ ratio? quid docent? quid ſuadent? quid iubent? ſeriò cogita, lector : & quòd ſæpiùs dixi, ſemel videbis: non ad Fidem, ſed ad Monachiſmum diuinâ voce vocatum Auguſtinum.

Obſtrepant Hæreticuli; latrent caniculi: ipſam Inuidiam teſtem aduoco, vt ſenſus hîc gneſius eſt, & ſine fuco ſincerus. Quis profeſſæ Paupertatis hoſtis eſt; ſi nõ Comeſſatio & Ebrietas? Paupertas enim ſobria & ſicca eſt. Quæ Caſtitatis expugnatrix, ſi non Impudicitia cõcubitus? Quid Obedientiæ inimicum, ſi non Cõtentio & Æmulatio? Nonquam contentioſus æmulator, obediens; ſemper habet quod obganniat. Nonquam accubus impudens, caſtus. Nonquam denique cõmeſſator verè pauper. Gula enim ingenioſa craſtino prouidet; & præter votum corradit quidquid po-

test, quo abdomē foueat suum. Paupertas fugat ebrietates: Castitas, impudicitiam: Obedientia, contentionem. Nullam faciunt inter se mixturam hæ virtutes, & hæc vitia:

Non benè conueniunt, nec in vnâ
sede morantur

inuicem contraria; inuicem semper pugnantia.

Sequitur: *Induite Dominum Iesum Christū*. Agedum; nusquā quidquam apertiùs: seclusa rursum hinc omnis circuitio. Christus ab eo indui dicitur, qui Christum imitùs & animitùs imitatur: & hoc ipsum Monasticæ professionis proprium est. Chrysostomum audi: *Qui Monachū profiteris, qui crucifixus es*, &c. Hinc Alchimius sorori suæ vitam solitariam suadens, canebat:

Exue delicias Mundi huius & in-
due Christum.

Quare voce pueri monetur August. Hæc igitur eadem inculcabat Augustino vox *quasi pueri an puellæ*: Rectè quidem; purum puerum decuit hominem monere impurum,

vt


vt puerilem puritatem admitteret, & incõstantem, quâ titubabat, puerilitatem dimitteret. Phormio, apud Terentium, in Cremetem & Demiphonem inuehitur :

Quid vos, malùm, ergò me sic ludificamini
Inepti, vestrâ puerili sententiâ ?
Nolo, volo: volo, nolo rursùm : cedo, cape :
Quod dictum, indictum est : quod modò erat ratum, irritum est.

Ne simili ioco; modò & modò & crastinò, Deum ludificetur toties, pueri vox admonet; firmámque ingerit pectori sententiam, nullâ ætate exuendam, nullis Cypriæ flãmis exurendam.

At ne Monicæ silentium tantis in gaudiis nobis obsit, agedum loquatur. Multis illa lachrymis filio Fidẽ procurabat: verùm vbi petito maius aliquid superadditũ videt, *Exultat, triumphat & benedicit tibi* (Deo loquitur August.) *qui potens es vltrà quàm petimus, aut intelligimus facere:*

quia tantò amplius sibi à te concessum de me videbat, quàm petere solebat miserabilibus, flebilibúsque gemitibus. Conuertisti enim ità me ad te, vt nec vxorem quærerẽ, nec aliquam spem sæculi. Non quærit *vxorem:* ergò Castitatem amat. Spernit *spem sæculi,* id est, honores, & diuitias : ergò Obediẽtiam & Paupertatem sectatur.



DISSERTATIO DECIMAOCTAVA.

Ad Baptismum & Monachismum sese apparat: Vbi: Cum quibus: Quibus exercitiis.



EIVS *iam liber erat animus à curis mordacibus ambiendi, & acquirendi, & scalpendi scabiem libidinum.* Sed adhuc classis Eloquentiæ iugo pressus, vnicum vindemialium diem

taci

tacitus opperiebatur, quà leniter linguæ ſuæ miniſterium ſubtrahere ſtatuerat. Neq; enim tumultuosè abripere ſe debuit, nî mallet variis vicatim differri rumoribus: quòd pauculos in Paleſtra dies tolerare nequîſſet. Multa enim arcebant ab eo ſtudij ſtadio: leges, valetudo, pietas. Ita dico, leges: Iuliani Imperatoris diplomate ſancitum erat, ne Chriſtianorum quiſquam Eloquentiam profiteretur. Valetudo: nam & fatiſcentis pectoris pulmo, ſolitam ſolidamq; denegabat vocem. Pietas: vellet ille vitream fractam toties & ſomniorum interpretamenta pueris venditare, buccis typho crepãtibus?

August. cedit professioni Rhetorices, & quare.

Non ea vis animo, nec tanta ſuperbia victis:

Virg. 1. Æneid.

immò nec tanta animi abiectio victori iam ſui fortiſſimo. Pompei magni magnum illud encomium iactatur: *Vocatus & inuitus aſſumpſi: vocantes & inuitantes deſero.* Quod hic de conſulatu, nõ indecorè de Paleſtrâ ſuâ dixerit Eloquen-

tiæ noster Antistes. Rogatus venerat: rogantes deserit, nonquam deserendus, nî primò desereret. Nam quandò liberum voluissét Mediolanenses, eum, quem propter liberos suos, non nisi catenâ aureâ virum verè aureum, Româ traxerant?

Rus concedit cũ suis, ad exercitia Monastica.

Amicus & familiaris Verecundus, villam illi suam concesserat nomine Cassiacam. Vacuo curis & professione soluto, huc itio fuit: vbi cum Matre, Alipio, Nauigio, Nebridio & Adeodato filiolo, animum ad Baptisma adpararet; semotis scilicet curis sibi aliisque faciliùs viam ad Monachismum aperiret.

Horat.

Beatus ille qui procul negotiis,
Forumq; vitat, & superba ciuium
Potentiorum limina.

Libros à se compositos suffocat: & quare.

Hîc ne quis Mineruæ mundanæ locus residuus, ingenij & stili sui monimenta, *Bautonis Panegyricum*: *de Apto & pulchro ad Icherium*, aliósq; libros æternis suppressit tenebris. Scio, olim Ecclesiâ nascente, fuisse in morem, vt salutari vndâ lauandi

ad

ad Apoſtolorum pedes deferrent, ſi quos à Fide alienos haberent codices. Hinc, Arator poëta verſus hos exarauit:

Alij magicis ponunt incendia libris,
Vt mereantur aquas: & vitent ignibus ignes.

Ita Auguſtinus quotquot ſæculariũ literarum conſuetudine incenſus ſcripſerat, vulcano ſacrificauit.

——*Procul hinc, procul eſte profani.*

Noua hîc omnia; noua vota, noua vita; noui mores, noui amores. O amores! O ardores! Quàm vidiſſe geſtiam geſtus illos, æſtuſque pectoris à Deo ſagittati! O æſtus queis vſtus es, PATER SANCTISSIME! talem enim te modò voco & inuoco: Emicuit, arſit ardor ille tuus, dum zelo exedente te, *cantica fidelia* lectitabas. Quæ tua mens? oculi? manus? pectoris oriſque motus? quid cogitabas? quid dicebas, dùm epoto pſalmorum nectare, ſobriè ebrius, tui immemor, à te ipſo

Mirabiles adfectus August. in Deum.

extrà te ipsum rapiebaris? absens tibi, pręsens Deo; sine voce clamabas, amabas : *O in pace! ô in idipsum! obdormiam & somnum capiam!* Somnus ille animæ summus est; sed somnus minimè ; ab æternâ vigiliâ, vigilans semper, nonquam obdormiés: quem semper petit, semper adpetit quisquis ab inexhausto cœlestis Ambrosiæ calice, sobrius ebrius est. Talis augusta illa Augustini anima, iam iam Christo maritanda, talem perpetim cupit, perpetim capit.


Lib. 9. cap. 4.

Versus amici mei CATVLLI *Louanij apud Belgas professoris eloquentissimi.*

Nîl nisi gustatos spirat speratq; liquores,
Sicut hydrops medijs qui sitit æger aquis:
Altera mox, rursus petit altera, & altera rursus
Pocula, postq; iterum plurima, plura cupit.
Non ita ridentem cythisum lasciua capella,
Non ita narcissum stridula quærit apis:
Vt semel halitibus Domini, tepidisq; saliuis

Ebria

Ebria sponsa, tamen sobria, languet, amat.
Vrit & inflammat diuini potio vini:
Attamen ex illo nectare viuit amans.
Quales lætitiæ, comburi & viuere! sicut
Viuit aphrodygio stans Salamandra foco.
Quales lætitiæ, diuino flumine semper
Mergi; nec calidam posse replere sitim!



DISSERTATIO DECIMANONA.

De anno Domini & ætatis Augustini, cùm Baptisma suscepit.



NNO CCCLXXXVII. ætatis suæ trigesimo secundo currente baptizatus est Mediolani. Quæ quia inter omnes nō

constant paulò altiùs ab anno eius obitus repetendum statuimus. Igitur magnus ille Ecclesiæ Titan occidit anno CCCCXXX. quinto Cal. Decemb. natus annos LXXVI. sicut abundè patet ex Imperatoris Theodosij literis, quæ hoc ipso natalis Christi anno datæ ad Augustinum; ne præsentiam suam Ephesino Cōcilio proximè celebrando subtraheret. Illæ attamen tardiùs & ad defunctum quinto Hypponensis obsidionis mense, demùm venerunt. Hoc autē tempore & anno CCCCXXX. annorum LXXVII. natus erat, prout Prosper, Beda, Marianus, Ado, Scotus & Trithemius testantur. Quorū postremus Segibertum, & Lucidum arguit, qui anno CCCCXL. contendūt Augustini obitum euenisse.

Liberatus ca. 5. in Breuiar.

Supputationi huic meæ, illustrissimus etiam Baronius suum facilè conferat calculum: indicabitque Comitem Marcellum emendādum, eò quod anni vnius cursum vitæ Augustini detrahat. Nam & de eo discipu

discipulus eius Possidius adfirmat: *Sanè ille sanctus in vitâ suâ prolixâ, pro vtilitate & felicitate sanctæ Ecclesiæ diuinitùs condonatâ, vixit annis* LXXVI. cap. 31.

Iam nunc ad Baptismi tempus regrediamur. Anno Domini CCCCXXX. gerebat ætatis annos LXXVI. E quibus si XL. demas, quos (authore Possidio) in clericatu atque Episcopatu insumpsit; consequens erit anno Domini CCCXC. habuisse ætat. annos XXXVI. Ab his rursum ferè tres semoue, quos in agris propriis (vt testatur Possid.) à matris obitu cap. 3. consumpsit: tunc, indubiè anno Domini CCCLXXXVIII. incœpto, annum ætat. suæ XXXIII. etiã incœptum gessisse, confirmabitur. Fallor? Ipsum- Lib. 9. c. met audite, qui de matre sic confi- 11. tetur: *Trigesimo & tertio ætatis meæ anno anima illa religiosa & pia soluta est*. Vno dumtaxat anno ante Monicæ obitum baptizatus est: talisque communis omnium assertio est: Et eodem remeasse se scribit in Africã,

Adeo

Adeodato filio, Euodio, & Alipio sociis: addens *cùm apud ostia Tiberina essemus, mater defuncta est.* Vnde satis claret ætas, tempúsque, qualia in dissertationis limine designauimus.

Obiectio prima. Verùm enimuerò, non parùm obstare putant quod ad marginem li. 1. Solil. cap. 10. lectitant, Augustino quasi dicente *cùm* XXXIIII. *annos agam:* vbi libri corpus XXXIII. habet. Quam lectionem margine etiam indignam autumo. Libri náque illi in villâ Axiacâ editi sunt ab Augustino, antequam nomẽ Baptismo daturus Mediolanum repeteret. Et volumine quidẽ contra Academicos eodem cum Soliloquiis tempore edito (sicut constat ex retractaẗionibus) apertissimè eloquitur: *cùm trigesimum & tertium ætatis annum agam.* Ità vt certa maneat Soliloquiorum scriptio: *cùm* XXXIII. *annos agam.*

Obiectio secunda. Sed quomodo erat Augustinus annorũ XXXIII. suscepto Baptismate,

te, cùm anteà diebus dumtaxat aliquot, trigesimum ætatis annum habuisse se non semel in Soliloquiis & contra Academicos fateatur? Solutio in procliui est: Nonnunquam anni postremi cum intermediis iunguntur: & aliquando, nullâ extremorum mentione, intermedij solùm enumerantur. Cuius rei clarum in Dominicæ Resurrectionis mysterio exemplum patet. Quod enim Matheus & Marcus dicunt *post dies sex*: Lucas contrà *post octò ferè dies* euenisse scripsit. Nec error: priores namque, intermedios tantùm; hic, extremos etiam dinumerat. Eiusmodi varietate computandi vtitur Augustinus, quoties ætatem in annos digerit, quibus vitam agere cœlibem proposuerat, re ipsâ minus completam: *Quoniam*, inquit, *multi mei anni mecum effluxerant; fortè duodecim sunt, ex quo ab vndeuigesimo*, &c. Vbi apertè eos enucleat adamussim annos, qui ab vndevigesimo ad illud vsque temporis intercurrerãt.

Atque

Atque decẽ fuisse rectè scribit. *Decennium*, inquiens *& amplius ista meditati*. x. hîc appellat, quos antea XII. quia completos & intermedios, in priori; in posteriori verò, intermedios dumtaxat, respexit. Eadem forma atque descriptio valet in conciliandâ nostrâ sententiâ: *cùm* XXXIII. *annos agam*. Hîc enim, intermedios & incœptos, pro completis accipit. Nam ab XIX. ætatis anno rem vxoriam cupere destitit: quibus annis, XIIII. superadde (quos sic enumerat:
Lib. 1. So *Quatuordecim sunt ex quo ista cupere*
lil. c. 10. *destiti)* resultabunt indubiè XXXIII. anni, prout contra Academicos testatur. Si verò vtriusque partis extrèmos & incœptos seponimus, & annis XIX. completis, XIII. cõpletos superaddimus, iúcti vnà omnes anni erunt XXXI. completissimi, aut certè XXXII. incœpti, quando nos Augustinum Baptismatis lauacro dilutum fuisse assertum imus. Nec multùm ab authoritate Possidij recedentes, qui capite vndecimo: *Tunc*, inquit,

annis

annis maior triginta.

Sed quia constat historiam absque annorum designatione quasi emortuam; Eià animetur, & aciem dissertationis altiùs infigamus. Augustinus igitur vsque ad XXVIII. ætatis suæ annum, remansit in Africâ. Totos IX. inter Manichæos cōsumpsit. Audite de se fatentem: *Per idem ferè tempus annorum nouem, ab vndeuigesimo anno ætatis meæ, vsque ad duodetrigesimum seducebamur falsi atque fallentes.* *Lib. 4. c. 1.*

Romam venit annos natus XXIX. inchoatos: *Proloquar*, ait, *in conspectu Dei mei annum illum vndetrigesimum* (& continuata ratione pergit) *veni Mediolanum.* Aduentus ille cōtigit anno Domini CCCLXXXIIII. nēpe ante Bautonē Cōsulem; cui Kal. Ianuar. laudem dixit, & longâ oratione Imperatore presente recitauit. Ergò aperienti anno CCCLXXXV. ipse annorum XXX. incœptorū Panegyricum habuit. Non autem XXXI. vt putant alij, & malè computant: ma- *Libr. 5. cap. 3.*

gnâ

gnâ, meherculè, *Confessionibus August.* tàm maturè editis inustâ maculâ. Audiant igitur & sententiam explodendam reuocent in meliùs; *Ecce*, ait, *iam tricenariam ætatem gerebã*, in consulatu Bautonis. Et rursus alibi: *Iam mortua erat adolescentia mea, mala, nefanda; & ibam in iuuentutem*: id est, in annos xxx. nam M. Varro ætatis gradus quinque facit: in quorum secundo, ad annum vsque trigesimum, Adolescentiam collocat; quos ab anni trigesimi exordio, ire dicit in Iuuentutem.


cap. 2.

lib. 7. c. 1.

Quid amplius? anno Domini CCCLXXXVI. currente, XXXI. anni inchoati erat Augustinus, cùm immissâ cœlitùs voce audiit TOLLE. LEGE. Conuersio eius mense Augusti contigit. Propinquãte Paschâ Baptismum suscepit, sequenti scilicet anno CCCLXXXVII. ætat. verò suæ XXXII. inchoato. Chronographum mihi fit illud factum cùm tempore Geruasij & Prothasij RELIQVIÆ ab Ambrosio inuentæ, cùm hymni

& An

& Antiphonæ in occidẽtali Ecclesiâ cantari cœpta; cùm iniustus Imperatricis Iustinæ furor in Præsulẽ ignescens extingui cœptus. Quæ omnia Baronius anno CCCLXXXVII. accidisse Mediolani, memorat. Dicendum igitur nobis est hoc eo anno baptizatum, quandoquidem de Baptismo suo priùs egerit, quàm de reseratis Reliquiis, & sedata persecutione quidquam scripserit: cùm ea maximè quadragesimali tempore euenerint; Baptismus verò Sabatho sancto. At illis omissis, à villâ Axiacâ Mediolanum reuertamur. *Tom. 4.*




DISSERTATIO VIGESIMA.

Baptisatur: & Monachi vestem suscipit: Vbi: A quo: Cum quibus: & Quibus ritibus: Item super hymno TE DEVM, *quædam mira.*

SVM

August. quando baptisatus.



VMMVS olim Sacerdos quotannis in Sancta Sanctorum semel ingrediebatur: Ita & æuo Ambrosij, Pontifex tabernaculum introibat; idque pridiè Paschatis: aliquandò tamen & Pentecostes; sed rariùs; nec nisi vrgente quasi necessitate adactus.

Vbi Paschatis tempus aduenit, quo nomen dare oporteret, Mediolanum remeauit Augustinus cum suis. Iam dies illuxerat Baptismo dictus: frequens hominum turba cōueniebat ad spectaculum,

Virgil. Æneid. 1.

——& templum clamore replebant.

Paratis de more ministris, Antistes senior clericorum, magnâ medius comitante cateruâ, procedebat: sequebantur candidati, Augustinus, Alipius, Adeodatus: prçeūtibus ministris duobus, altero ornatum decenter S. Crucis lignum ferente, & altero argenteam Columbam sacri Chrismatis receptaculū præferente, donec ad Tabernaculum deueniretur.

Baptisandis sancta Crucis lignū præferri solitum, sed & S. Chrisma

Ibi

Ibi fons erat, formâ rotundâ nescio an oblongâ, an qualis in regio Franciæ Gazophilacio reseruatur. Rotundâ, vt vtero materno adsimilis Ecclesiæ nasci baptizatos significaret: Oblonga; vt sepulchri modum ferens, peccatorum mortem indicaret: sed vt vt fuit, aquam limpidissimam quãta sufficeret plenissimus habebat. Exutis decenter vestibus (tanquam homine antiquo) fontem ingredi iussi; cantante subinde choro, & Lactantij illud repetente:

Fõtis forma qualis.

Nudos fuisse baptisandos.

Candidus ingreditur nitidis exercitus vndis,
Atque vetus vitium purgat in amne nouo.

Stans Augustinus, facie ad Orienté cõuersâ, rogatus ab Episcopo, CREDIS IN DEVM PATREM OMNIPOTENTEM? respõdit CREDO, caputq; decorè vndis immersit. Rursus Antistes: CREDIS IN IESVM CHRISTVM DOMINVM NOSTRVM? Repetiit CREDO.

Sed & ad Oriẽtẽ conuersos.

DO. Denique: CREDIS IN SPIRITVM SANCTVM? tertiò subiunxit: CREDO. Tertióque caput intinxit vndis. Cui Ambrosius: EGO TE BAPTISO IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI. Triplicis huius mersionis ratio, stat apud Albinum epistolâ LX. vbi sic lego:

Ter fonti mersos & quare.

Tertia lux, Dominum remeantem à
morte recepit:
Trina dies, Ionam tenuit sub viscera
Ceti:
Tres pueri, cernunt Dominum fla-
grante camino:
Ter sabaoth sanctum referens bene-
dictio psallit:
Ter mergendus aquâ, cui gratia to-
ta lauacro.

Eadem rogati & alij, viciſſim eadē respondêre & fecêre. Móxque, symphoniâ strepente, de fonte educti, & candidâ veste amicti. Hinc Lactantius:

Albis indutos.

Fulgentes animas vestis quoque
candida signat,

Et

Et grege de niueo gaudia Pastor
habet.

Nec minus verè,& graphicè Paulinus epiſtolâ 12.

Inde parens ſacro ducit de fonte Sacerdos
Infantes,niueo corpore,mente, habitu:
Circundánſque rudes feſtis altaribus agnos,
Caſta ſalutiferis imbuit ora cibis.
Hinc ſenior ſociæ congaudet turma cateruæ;
Allelu-ïa, nouis,balat ouile,choris.

Tria hęc diſticha,tria me docent myſtica:Baptiſatos,de fōte Epiſcopi manu educi; eductos, Euchariſtiæ ſacramento refici; refectos, ſolemni pompâ in ſupplicationem circumduci ſolitos fuiſſe. Sed & his pluria quæ non innuit Paulinus: pedes lauari:Confirmationis characterē cōferri : quæ omnia ſingillatim diſſerere non vacat. Vocat & detinet me ſcribentem ſupplicatio vnica, quæ mirandâ & memorandâ ſymphoniâ *Alij inſuper ritus.*

aures

aures omnium oculósque hiantes traxit in stuporem. In eâ namque alternantibus vicissim Ambrosij & Augustini modulis, diuinum illum hymnũ TE DEVM LAVDAMVS, primò decantatum accepimus. Cantatum? immò compositum. Rursus fallor, fusum debui dicere. Mirentur alij canticum Moysis, quia omnibus filiis Israël quasi vno ore recitatum. Mirentur Interpretes LXX. qui sacris codicibus ex Hæbreo in Græcum transferendis, ita vnanimes, vt quod hic, idem ille & alter sentiret, exprimeret, scriberet. Cum præcedentibus præsentis cantus cõcordia, certabit de gloriâ, & si non superet, certè tamen æquabit. Mediolanense Baptisterium, propter Templum maius erat, vbi nunc Ambrosij Ecclesia. Ab illo igitur dũ reditur, *cœpit Antistes cœlite voce TE DEVM LAVDAMVS: cui succinés Augustinus: TE DOMINVM CONFITEMVR: Donec alternâ vicissitudine, ad coronidem

De hymno TE DEVM, *& eius authoribus.*

*Relatu Donati Bossi.

dedu

deduxêre, *prout S.Spiritus dabat eloqui illis.* O viros cantico diuino dignos! O canticum diuinis viris dignum!

Olim vsui fuit hic hymnus, non nisi in natalitiis Pontificum. Sed vt magno gaudio continuus plausus adhæreat, mos inualuit vt ferè quottidiè in templis nostris resonet, aëris vndique & æreis campanis strepentibus; & quasi ad Angelorum, hominum, Ecclesiæque gaudia stupentibus: quæ recuperatâ, vt scriptũ est, dragmâ (Augustinum intellige) amicos in lætitiam concitat. De moniali quidem, refert ord. nostri Reuerendiss. Iacobus de Valentia; quæ huic cãtico cùm addictissima foret, Angelorum audiit inter aëra concordiam, & moriens illud vnum maximè commendauit adstantibus; quòd præ reliquis homines ad diuina, nescio quo modo, alliceret, prouocaret, raperet. *In laudẽ hymni dicta quædam.*

Sed non satis est hymnum mirari: Rimari insuper iuuat Baptismi

quis exitus. Nec in hoc labor exantlandus. Clariùs namque, tacente me, eloquetur Ambrosius; illo, quem feriis Paschalibus egit, Sermone. Ad quem dum recurris, Lector, ego collecto paulùm spiritu, à primâ huius Circi arenâ, ad aliam longè ferociorem, oculos, arma, lacertos adparo.

*

F. PRO






F. Prosperi StellartI AVGVSTINO-MACHIA,

LIBRI II.

DISSERTATIO I.

Aduersus maledicos dicta quædam pro Sermone Ambrosij: Erasmus cum suis refutatus: Illustr. Baronio satisfactum.



SATIS iam Christianum, satis Monachum intellegis, Lector? placet habitus? placet vestis? an nōdum etiam? Satis, inquiunt, si modò Ambrosianus ille Sermo, & nō suppositítius ab Augustiniano aliquo cuculli sui encomiaste. multa enim

Obiectiones maliuolorū.

aduertimus, in quibus fallit aut fallitur quisquis Author est.

De iis, querela mea, & respõsiones. Deus bone! Illa illa Augustiniana Religio, augusta quondam & celebris Religionum mater, sic rugas contrahet & in angustum arctatabitur! A nuperis aliquot annis assurgit? Ecce calumnia deprimet. Nudata membra tegit? Vestem Liuor detrahet. Itáne, quam hęreditario iure, tot annorum centenis testantibus, possidemus, ab imperitis, nouellis & nouatoribus, dilaniari, conspui, rideri!

Virg. 1. Æneid.

Quod genus hoc hominum, quæve hæc tam barbara morem
Permittit patria?

Augustinum Monasticæ vitæ cultorem & authorem inficiari cùm nõ valeant, consimili nobiscum veste vsum negant. Quid ita sincerum aut gnesium, quod vellicare & incrustare, Malignitas non audeat? Ab Erasmi pharetrâ tela sunt quæ sparguntur: nam ante eum nemo homo ausus sagittis lacessere *Sermonis* hunc

Erasmus sermonẽ Ambrosij primũ reiecit.

sco

ſcopum. Subſecuti ſcioli quidam, qui vulnera infligant, ſi potis eſt; ſed ne infigant, modò mihi cautio. Mira audacia, ne dicam temeritas; ſic proſcribere, in Ergaſtulum & Carnificinam dare, Togâ moleſtâ dignum cenſere eum, cuius tutelares Dij, & fautores sũt Antiquitas, Docti, Doctores, Eccleſia. Quamquam facilè diuertemus in authorum ceruices, paratas in exitium (vt putant) noſtrum, ſagittas. Tu tantùm, pugnæ arbiter eſto, bone Lector, dùm in arenam deſcendimus incruenti huius Circi.

Ergò ſuppoſititius ab Auguſtiniano aliquo eſt hic *Sermo*, nec Ambroſius concionator, ſed *mendaciorum concinnator*, author eſt. Dixit Eraſmus quod ſolet, non quod debet: qui quãuis doctrinæ alis ſæculi ſui Fœnix altùm volarit; impietatis tamen pondere preſſus ſeipſo ſerpſit inferius: iocando, irridendo, arrodendoque ſacra quæque violauit. Harpya illa quid intactũ reliquit? Quid

Scomma eius in ſerm. & authorẽ: & mea dilutio.

aduertimus, in quibus fallit aut fallitur quisquis Author est.

De iis, querela mea, & responsiones. Deus bone! Illa illa Augustiniana Religio, augusta quondam & celebris Religionum mater, sic rugas contrahet & in angustum arctatabitur! A nuperis aliquot annis assurgit? Ecce calumnia deprimet. Nudata membra tegit? Vestem Liuor detrahet. Itáne, quam hereditario iure, tot annorum centenis testantibus, possidemus, ab imperitis, nouellis & nouatoribus, dilaniari, conspui, rideri!

Virg. 1. Æneid.

Quod genus hoc hominum, quæve
hæc tam barbara morem
Permittit patria?

Augustinum Monasticæ vitæ cultorem & authorem inficiari cùm nō valeant, consimili nobiscum veste vsum negant. Quid ita sincerum aut gnesium, quod vellicare & incrustare, Malignitas non audeat? Ab Erasmi pharetrâ tela sunt quæ sparguntur: nam ante eum nemo homo ausus sagittis lacessere *Sermonis* hunc

Erasmus sermonē Ambrosij primū reiecit.

sco

ſcopum. Subſecuti ſcioli quidam, qui vulnera infligant, ſi potis eſt; ſed ne infigant, modò mihi cautio. Mira audacia, ne dicam temeritas; ſic proſcribere, in Ergaſtulum & Carnificinam dare, Togâ moleſtâ dignum cenſere eum, cuius tutelares Dij, & fautores sũt Antiquitas, Docti, Doctores, Eccleſia. Quamquam facilè diuertemus in authorum ceruices, paratas in exitium (vt putant) noſtrum, ſagittas. Tu tantùm, pugnæ arbiter eſto, bone Lector, dùm in arenam deſcendimus incruenti huius Circi.

Ergò ſuppoſititius ab Auguſtiniano aliquo eſt hic *Sermo*, nec Ambroſius concionator, ſed *mendaciorum concinnator*, author eſt. Dixit Eraſmus quod ſolet, non quod debet: qui quáuis doctrinæ alis ſæculi ſui Fœnix altùm volarit; impietatis tamen pondere preſſus ſeipſo ſerpſit inferius: iocando, irridendo, arrodendoque ſacra quæque violauit. Harpya illa quid intactũ reliquit? Quid

Scomma eius in ſerm. & authorẽ: & mea dilutio.

non sicarius ille, stili sui telo vulnerauit? Quid vnquam sincerè dixit? Quibus in rebus à Fide non deuiauit? Attamen creditur Lesbiam hîc tenere regulam. Mediusfidiùs, est quod gaudeant nouellæ Religionis inuentores: en, Cretensis in Socratem euasit: Erasmus Fidem inuenit, atque in Tripode sedem.

Sed dicat quæso apertiùs; quâ gratiâ laudis hunc campum nobis aperiat: nec enim opinor sine numine diuûm, Vestis iacturam præmio meliore pẽsat. Arbitrabar, Erasme, *Monacho*, te iudice, *nîl indoctius*: & farinę nostræ homines abdomini natos omnes. Benè, benè: respexit nos Hygeia: tandem aliquandò

Aliud stemma ex adagÿs eius.

Vnus homo nobis scribendo restituit rem.

Quàm scire velim, vbi natus ille Musæi filius, qui misellum suum Ordinem, mille iam & trecentorũ circiter annorum vetustate, casum minitantem, literario hoc fulcro sustentaret. Laudandus ille quidem; at tu magis,

magis, Erasme, qui cauto catior, fulcrum solerti & nocturnâ manu subtrahas ædificio iamiam ruenti. Fertè auxilium, ô populares, occidimus.

Dicam planè quod sentio: Non satis nouerat Rhoterodamus, dormitantem nostrorum olim in scribendo torporem; qui contenti inter abdita siluarum lustra latitare, laudē omnem in beneuiuendo semper posuerunt. Nam ad hanc vsque ætatem nostram, vbi Chronica Ordinis? vbi res in Europâ gestæ? vbi in Africà peractæ? Harum, fateor, extant quædam: eloquar, an sileam? quædam, inquam, sed heu! mutila. Vbi denique, quæ in Asia? nam ab Orientis plaga Romam venisse nostro hoc habitu Religiosos viros, oculatissimus testis est Sabellicus. Attamen tacentur: *Religiosi nostri quales olim.*

—— Quis talia fando
Temperet à lachrymis?

Tacentur, euah! & magna Ordinis iactura, neglegenti silentio sepeliuntur. Qui ergo propria prætериêre,

credam alienis incubuisse? Propriis obdormientes, alienis inuigilasse? Vera tacentes, mendacia concinnasse? Et tamen hoc nobis imponunt homines maliuoli.

Atque vtinam hæreticuli tãtùm ferremus, & generosâ dissimulatione sãnas taciti deuoraremus. Ast alios à detractorio illo Circo arma mouentes vix patior. Rodunt, ridẽt, Habitum, quasi à tanto Patre non habitum. Nec iam parietibus continetur Domina illa Calũnia; in ipsis Theatris, Personam inuenit. De Augustini conuersione comedia nuper prodibat in publicum: sed quæ vestis Monacho? Pilleus quadratus, toga talaris. Indigner ego an rideam? Infra indignationem meam fuit. Authores quales quales, taceo; latere enim patior; etsi me non latent.

Tornaci in Flandriâ anno 1604.

Dehinc, vt quiescant, porrò moneo, & desinant
Maledicere, malefacta ne noscant sua.

Hæc & grauiora scommata, nobis fingunt,

fingunt,pingúntque : nec ignorátię, verùm (dicam verè & fortiter etſi parùm comiter) mero & antagoniſtico inuidiæ penicillo. Extingui famæ ſuæ Solem cenſent, ſi è regione ſui poli,lumen ſpargere incipiát nouæ ſtellæ.

At,illuſt.& eruditiſs.Baronij ſententiis dicta ſua authorant. Sed dicite, bona fide, vſquámne Baronius de Auguſtini Monachiſmo addubitat? Ne per ſomnium quidem.Quin conceptiſſimis verbis: *Auguſtinus,* inquit, *Monachus fuit.* At Ambroſij *Sermonem* repudiat,fateor:ſed iam olim illi repoſitum eſt,nõ ab vno. Quàm multi pugnam hanc pugnauerint,& Baroniũ expugnauerint,audite : Petrus Galchimius Ambroſianę bibliothecæ præfectus:Antoninus Florẽtinus Archipræſul: Emarus Hẽnequinus Epiſcopus Britannus:Ioannes de Rioche Minorita: Gregorius de Valentia; Hieronimus Torrenſis Soc. Ieſu Preſbiter; qui inter cætera aduerſus hæreticos ſcripta; verba hæc,

Tomo 4.

Pro ſermo. Ambroſ.Baronio reſpõdetur accuratè.

Augustinus cucullà nigrâ, & cingulo coriacio,&c. allegat viriliter. Taceo Thomã de Trosillo, cuius apud Baronium toties valuit authoritas; tanquam fœtum legitimum Ambrosianis scriptis inseruit. Cur abortiuum aut nothum reiicit Baronius? Cur in hoc fidem non habet ei, cui in cæteris semper Baronius? In hoc tantùm à vera linea aberrauit? In hoc reliqui omnes? Ariadneum filum solus inuenit Baronius; Reliquis lippientibus, solus in tenebris lynceus est Baronius? Sed sua probat: faciunt id & alij. Sed sua verè confirmat: sic & illi. O ludicrum! Olim M. Scaurus corruptelæ accusatus, liberè in concionem veniens, hoc tantum effatus dicitur: *Varius Sucronensis Æmilium Scaurum mercede regiâ corruptum ait; Æmilius Scaurus negat: vtri creditis?* Simile hîc ausim dicere. At missam faciamus iocosam hanc Scænæ pugnã, quæ risum excitet spectantibus.

Quintilian. lib. 5. cap. 12.

Stet vtrinque acies: Caduceator ego, ramum Oleæ prætendo, & ad-

uersæ

uerſæ parti meæ Lauream. Sileat accenſus veſtrâ pertinaciâ clamor: Nõ ſit Ambroſij ille *Sermo*, quando zelus veſter non patitur: Soſia Mercurium, an Soſiam Mercurius mentiatur & induat, parùm eſt mihi.

Satin' iam vobis Mauors & Bellona fauentes? Nonquid erepto hoc telo Victoriæ mihi ſpem omnẽ præripuiſtis, & Veſtem ſimul cum Palmâ abſtuliſtis? Credite, Procridis tela ſuperſunt: quæ mox vbi manu ineùitabili vibraro, opima ſpolia tholis Muſarum adpẽdens, ſuperbus cũ Veſte victor, auertẽtia Sacra inſtaurabo INVIDIÆ ET PALLORI.



DISSERTATIO SECVNDA.

De Corona & Tonſura Auguſt. Authores eius Apoſtolos: Victimas, Veſtales, ſeruos adtõſos. Quare hi & illi: Item qualiter.

tori Conſtantino Silueſter Papa mō-ſtrauit. In quibus, triplex capillorum circulus, capiti Coronam triplicem conſtituebant, mento vndique adtō-ſo. Quod vt faciliùs credam, ſuadet adhuc quæ in vſu eſt hodiè Papalis infula, quæ ſanè triplex eſt, hâc tamen exceptione, quòd olim crine cōſtaret, modò verò eſt *corona aurea ſuper caput eius, expreſſa ſigno Sāctitatis, Honoris, Fortitudinis*; Triplex, inquam, vt triplicem deſignet authoritatē in Cœlum, Terram, Infernum.

Papalis corona triplex, & quare.

Nos gradibus multis inferiores, vnicâ contenti viuimus: & ſic vixerunt, qui ante nos vixerunt. Primis enim Eccleſiæ temporibus etiam *attondebātur omnes in* CORONAM *miniſtri altaris & Monachi: vt quaſi nouo diſcipulatu BB. Apoſtolorū Principis Petri, gens correcta gauderet.*

V. Beda.

Ita ergo miniſtri altaris, ita Monachi omnes: & inter omnes vnus Auguſtinus, duplici nomine in CORONAM adtonſus: quia Monachus, quia Papa, id eſt, Epiſcopus. Nec aliter

Auguſt. adtonſus & coronatus.

Papa quid ſignificet.

ter intellexerim Hieronimum, qui epist. 25. ad Augustinum: *Fratres tuos*, scribit, *dominum meum Alipium, & dominum meum Euodium, vt meo nomine salutes, precor* CORONAM *tuam.*

Corona significatio. Patrissamus itaque, CORONAM gestantes. Neque tamen quia B. Petrus, aut Augustinus adtõsus, ita & nos: sed quia in memoriam passionis adtonsus, in exemplum Christi currimus. * Seruile olim indicium, decaluari; comam nutrire, liberale. Seruitutem nostram, rasura verticis; libertatem, capillorum circulus declarat. Seruiliter liberi, liberaliter serui sumus. Serui, quia *empti pretio magno*: liberi, quia *seruire Deo regnare est.* Ideóque capillorum circulum, CORONAM vocamus.

** Vide Lipsium cap. 15. lib. 2. Electorum.*

Victimas apud Virgilium Dîs Manibus sacras faciebat Sacerdos,

Æneid. 6 —*Summas carpens media inter cornua cetas.*

Pagani dijs crinem sacrabant, nos Deo.

Et apud Petronium, iratus Aschilto Licas, quia crinibus nudasset caput:

Cui

Cui Deo, clamabat, *crinem vouisti? Pharmace, responde.* Nos certè, si quis rogat, nostraque omnia, Christo domino vouimus: ideoq; crinem, quasi crimen, amputamus: & mundana desideria abdicamus penitùs. Nam *tonsura crinium vitam mundissimam indicat & nullâ figurâ fucatam: & quæ nullis fictis coloribus inductis, animi deformitatem exornet.* Et si ambigamus an non tonderi etiam Vestales olim solitæ, ritu nostrarum virginum, quæ Deo sacrantur, ex Plinio colligam lib. 16. cap. 44. *Antiquior est Lotos, quæ capillata dicitur, quoniam virginũ Vestalium ad eam Crinis defertur.* Et Festo: *capillarem arborem dicũt, in quâ capillum tonsum suspendebant.* Adiungit Lipsius: *semel igitur tonsæ, atque in ingressu, opinor: aliàs comam alebant.*

S. Dionis. Areop.

Virgines Vestales tonsæ.

Cautio in Ezechielis cap. 44. data est: *Sacerdotes caput suum non radant, neque comam nutriant.* Quomodo fieri hoc potest? obscuritas est in sensu; lucem dabo. *Non radant*, id est, carnis cogitatus à se, nec à suis omninò

Locus Ezechielis de Comâ interpretatus.

ninò auellant: *Neque comam nutriāt*; hoc eſt, neque etiam illis penitùs indulgeant. Nos meliori longeq́ue digniori ſacrificio nati, radimur: quia nullum cum carnalibus commerciũ. Laici, contrà, noſtri, antiquis mage conformes; quorum crinis eâdem fini, nec raditur nec creſcere permittitur. Proptereaq́; quos *Crinitos* vocat Auguſtinus, nos Conuerſos appellamus, quia cum ſæcularibus & inter ſæcularia negotia conuerſantes, crinem alunt, non CORONAM.


Sacerdotes noſtri raduntur: non autẽ laici: & quare.

Laici dicti criniti ab Aug. lib. de Opere Monach.



DISSERTATIO TERTIA.

De eius veſtibus quadam libatio: Item de materiâ & colore: Nigrum videri: & quare.



E coronâ ita eſt vt dixi: olim totondit Pontifex Monachum, *exutumq́; veſte omni*

Dionyſius de Hier.

omni aliam induit. Idipſum Nicenum Concilium ſtatuit, integrum vt maneret; *Monachi, alia habeant indumenta ac mores, quàm habent laici.* Sed non inde origo veſtis mutationis: vſum ab antiquæ legis Prophetis deduco, qui verè Monachi extitêre. Nã & Helias agebat in Eremo ſolitariâ; & inſolitâ vſui communi induebatur veſte: quâ quidem Ocoziæ regi ſacrilego multis è millibus vnus talis agnoſci potuit. Subſecutus veſte conſimili, imò eâdem, Heliſeus, & longâ temporum ſerie Prophetarũ filij, ad Ioannis Baptiſtæ tempora, *qui viuebat in Eremo* (vt habet Hieronimus ad Rufum) *veſte aſpera, & zona pellicea.* Diſcipuli eius inſuper aliis comitantibus, ſolitam retinuêre veſtem; ac Hyeroſolimá primò, poſteà alias ciuitates ac terras, *circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egẽtes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus nõ erat Mundus. In ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis & in cauernis terræ.* Hunc ardorem ambierunt

Veſtis mutatio in Monachis.

Helias, Ioannes Baptiſt. Monachi

Paulus ad Hebræos ca. 11. Monachorum meminit.

poſtmo

postmodùm omnis ordinis homines *castè vendentes quæ poßidebant & mundo dicentes vale.* Quos omnes veteris testamenti Monachos annuit Hieronimus, seipsum talem fassus: *Noster*, inquit, *Princeps Helias, noster Helisæus, nostri Duces filij Prophetarum.*

De materia vestium. Ex antedictis colligere est non vnam omnibus fuisse vestium materiam. Helisæus quidem pannis, Ioannes cameli spolio, alij caprarum aut ouium pellibus, quas græci μήλοτας dicunt, tegebantur. Vnde Mantuanus:

—ad ilia vulpes,
Melotasq; trahunt maculosaq; tergora lyncis.

Adami vestis quæ? Antiqua vestis illa & inadfectatæ naturæ proxima; nec Adamum protoparentem, eiusq; natos, ante artes natas, aliâ vestitos credá fuisse, quàm pellibus: ex quibus, vt in Genesi patet, *fecerũt sibi perizomata.* Et in Africâ Monachum operi inhærentem, vidit Seuerus Sulpitius *senem in veste pelliceâ, molam manu vertentem.*

Ne

Ne laicus ille, ſed clericali fungens officio putaretur, ſubiungit idem de eodem: *Cognoſcimus hoſpitem noſtrum, eſſe Præſbyterum: quod ſummâ nobis diſsimulatione celauerat.*

Fateor, has pelles Monachi dimiſêre modò, ſed recepêre Canonici: aut certè, quas pro Tunicis portabāt, retinuêre pluribus in locis Italiæ, Germaniæ, Flandriæ, Franciæ, Hiſpaniæ. Inſulis apud Belgas, pellibus integras ſymphoniacorum ſuffultas togas notaſſe me memini. Cucullorum antipendia pelle munita deferunt V. Eccleſ. Tornacēſis Canonici, Paſtores, Sacerdotes omnes. Hinc Chori veſtem candidè lineam *ſuperpelliceū, aut ſubpelliceū vocāt*, quaſi ſuper pellem, aut certè ſub pelle poſitā. Lugdunenſes, Pallium planè pelliceum veſti lineæ ſuperinduunt: cuiuſmodi frequentem vſum in Canonicorum collegiis per totam Europam aut vidi, aut audiui. Si formam ſpecto, quę non huius ſæculi aut æui eſt, dubitē an pleriſque Monachis in vſu haud diſſi

De veſtibus pelliceis Canonicorū.

Superpelliceum vnde dictum.

dissimiles fuerint: nam & Cucullum annexum retinent, quod scio quàm commune extiterit.

De colore vestis Monach. Quidquid est, Monachis quibusdam pellicea, quibusdam pannea vestis erat. Confusus vsus primò; nam habitam, datam, inuentam, sine scrupulo quisque vestiebat. Fugit mos ille paulatim: & cœpêre omnes pãnis indui vilioribus, lanâ sibi à pastoribus datâ, confectis & contextis. Color qualis velleris erat: huius niger, illius cinericeus, alterius albus sine vllo fuco. Votiuus tamen antiquorũ color niger: & si albo vteretur quisquam, necessitate dictante aut cogẽte fiebat. De Hieronimi & Augusti-*Paganorum vestes albæ.* ni temporibus, haud est dubium: plerique omnes albi coloris vestes respuebant, quia Paganis celebres & vulgares. Vnde Cathari vocati, quòd etiam in candidis, Defunctorum Iusta facerẽt. Quibus cũ interesset Indes martir, haud dissimulata veste, Christianismi sui index fuit: luitque effuso per tormẽta cruore. Cautiùs,

nescio,

nescio, an prudentiùs Onofrius euasit in Syriâ: nam pallâ amictus candidâ, paganum mentitus, insanientium hominum manus & oculos elusit.

Contrà nigri coloris indumentũ tessera quædam Christianæ philosophię esse videbatur, quia vt ait Cyrus Theodorus: *Christianorũ nigra.*

Est atra vestis luctuosum nuncium.


Et de nostris quidem, Prudentius:

Squallent recinctâ veste pullati patres.

Melancleni idcirco per iocum aliquando vocati: quòd tãquam Druydes, pullati ambularemus. Tales Athanasius Romam primùm inuexit: & per Italiam, quanta est, disgregauit. Huc accedit, B. Martinum Thuronensem ex Oriente vbi militauerat, Mediolanum venisse, cuius opera ad vrbis muros Monasterium structum fuit: ex quo (testante cõtra Iouinianum Hieronimo) furtiuâ fugâ, sese surripuit infelix Monach⁹; nigris haud dubiè, amictus; qui, vt canit Ennodius, *fuscam* *Augustiniani Melanchleni dicti quare.* *B. Martinus erigit Monasteriũ vbi.*

—fuscam
Oppreßit vestem—

Hactenus de materiâ & colore. Formam nunc propiùs videamus: & qualia Tunica, Cucullus, Palliũ, Cingulum, Calceamentáque fuerint curiosiùs ostendamus.



DISSERTATIO QVARTA.

De eius Tunica & Cucullo: Illa cur Cappa dicta: An latinè: Hic quis, quorum & qualis fuerit: Itẽ de Bardocucullo: In fidem vestis, producta antiquorũ sculpta, statuæ, & picturæ.

Tunica vnde dicta.

Tunica pro indusio dicta ab Ouidio.



VNICA, generali nomine, vestis est quæ corpus, quoquo modo, tuetur. Quod indusium dicimus, Tunicam appellat Ouidius,

Sic etiam tunica tangitur illa sua.

Et

Et rurſus:

Pugnabat tunica ſe tamen illa tegi.

Sed, & veſtis ſuperior oblonga, & Pallio proxima, Tunica vocata; quam Galli, Græcorum veſtigia præ reliquis ſectantes, *hoqueton*, quaſi ὅ κίτων dicebant olim; variè nunc pro formâ variâ, appellatã. Illi ego Monachalem haud diſſimilem putabo; nam & laxa & cingulo in ſinus contracta vtraque fuit. Quod Tunicam Hieronimus, noſtrorum multi Cappam dicunt: parùm Latinè. Nam & nouum illud nomen, nec Togam ſignificans, nec Tunicam. Vaſcones hibernalibus Clamidibus vtuntur cucullatis, quibus corpus ambiant, & caput tegant. Illas ego *Cappas* dixerim; in eorum enim fabricâ cuſum videtur eſſe id nomen, vt vernaculè veſtem vernaculam ſignificarent. Caput quidem linguâ patriâ *Cappe* dicunt: à quâ voce, capitis tegumentum, latino-Vaſconicè *Cappa*, dictũ fuit. Cuius vſum non probabo, nî anteà Tunicæ Cucullus adhæreat, &

Gallorũ lingua Græciſãs

ὅ κίτων quid?

Cappa quid, & vnde dicta.

An olim innexa Tunica Cucullo.

& ad

& adsuatur; quod antiquis factum fuisse suggerit Hieronymus: *Tunicati sacceo Cucullo.*

De cucullo. Cucullus capitis tegumētum villi grossioris fuit; arcendis pluuiis perutile. Hoc nautis, rusticis, agrestibus, sed & Monachis quottidianum; qui speluncas, specus, siluas, & lustra ferarum incolebant, aëris iniuriæ, ventis, niuibus, pluuiis semper expositi: *quæ cuncta* (verba Columellæ vsurpo) *prohibentur manicatis centonibus confertis, vel sagis, vel Cucullis.*

Bardocucullus pro cucullo. Bardocucullum cum cucullo cōfundit Mantuanus, Ecclo. 7. vbi de Polluce Alphus rogatus quædam, Balbulæ respondet:

— *Destituit càlamos, armenta, sodales*
Bardocullatus caput vt campestris alauda.

Bardocucullus Gallica vestis etiam; sed bardorum, id est, stultorum, & viliorum hominum: de quâ apud Martialem,

Gallia Santonico vestiri Bardocucullo:

Cerco

Cercophitecorum penula nuper erat.

Stultorum? rectè, Augustino & nobis conuenit: *nos stulti propter Christum.* Viliorum hominum? congruè: *facti sumus omnium peripsema vsque adhuc.*

Rectè & Monach. Paul. 1. ad Cor. cap.4.

Gaudebant hoc habitu viri sancti solitariæ vitæ professores: *Cucullis namque paruis, vsque ad ceruicis, humerorumq; dimissis confinia, vtebantur ad vnum omnes.* Ludicrum alij aut stultum putabant sed sibi honorificum arbitrabantur viri magni. Nec erubuit illam Augustinus, cui cùm maliuolâ insultatione obiicerêt Manichæi, quòd Cucullum gestaret, & Monachorum Pater esset; enarratione in Psal.132. respondet acuratissimè: *Quid ergo*, inquiens, *dicunt illi, qui nobis de nomine Monachorum insultant? Hi etiam insultare nobis audent, quia Fratres cùm vident homines, Deo gratias dicunt*, &c. Vestisque vilitatem ostendens, quam Monachus laicus ante Episcopatum sumpserat, palamque ostentans: *Non veni ad*

Cuculli Monach. quales.

August. gaudet Cucullo.

Serm. 1. de communi vita. *hanc Ecclesiam*, dicebat, *nisi cum his indumentis, quibus illo tẽpore induebar.*

Aug. vbique pictus illo habitu nostro. Iam, si picturæ fidem inueniant: Deus bone! quot stili, quot penicilli in hanc Vestem formandam periti & parati? Antiquissima quæque Italiæ monimenta, Romana, Lucana, *In tota Italia.* Pisana, Florentina, Papiensia, Senensiaque lustrentur curiosiùs: inuenientur tabulæ, quæ voce mutâ pro *Mediolani.* me eloquentur multa. Eo ipso quo baptizatus est sacello, vltrà omnium hominum memoriam, saxo excisam vnam videre est (nî ab annis paucis perierit) vbi Cucullo amictus pin- *Venetijs.* gebatur. Venetiani Templi speciosa pariter & spatiosa machina, anno ∞LXXXIIII. Deo omnipotenti & Apostolo Marco dicata est, qualis adhuc extat hodiè. Super eo erectæ Doctorum 4. Statuæ, quarum vna Parentis Augustini Tunicam & Cucullum, vt adparet, induti. Curiosiùs adnotari id voluit Reuerend. Ambrosius Coranus Ord. nostri Generalis quondam egregius: nam & publicos

blicos Notarios adhibuit, qui *cappa & caputeo desuper* expreſsè indutum viderunt, retulerũt, ſcripſerunt. Plombo exciſa & Pilæ, quod ſolebant, adfixa ibidem, olim hæc legebantur; quæ ad Corani fidem non parum faciunt:

B. F.
FELICI. AVGVRIO.
PERFECTA. STRVCTVRA.
ERECTÆ. STATVÆ.
A. ∞ LXXXVI.
QVAS. FABREFIERI. C. ET P.
S. P. Q. V.

Præthereà, in Vaticanæ Bibliothecæ Gazophilacio fornix eſt antiquiſſimus, in quo (vt verbis Angeli Rochæ vtar) *S.P. Auguſt. Epiſc. Hippon. Pontificalibus veſtibus & Cucullo nigro cernitur.* *In bibliothecâ Vaticanâ.*


Quid pluria? Te vir Illuſtriſſime ac Reuerendiſſime Cardinalis, magnum Franciæ iubar, & Europæ, patronũ in hac mea cauſsâ appello, in- *Ad Cardinalem de Surdis proſopopeia.*

uoco; Producatur in publicũ, quam viri magni vir magnus Effigiem adseruas. Vici, si faues, & me audis. nã qualem requiro, talis est. Et quid in illa amas? Facit antiquitatis amor vt adserues? An magè, vt in speculum præ reliquis vnum habeas *Augustinum*; cuius ardorem in hæreticis propugnandis aut conuertendis, imitùs & animitùs induis? Hoc reor. ô sancta æmulatio! sic sic *aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus: vt illo tanquam spectante viuamus, & omnia tanquam illo vidente, faciamus.*

Seneca consiliũ ep. 11.

DISSERTATIO QVINTA.

De Zonâ: Quâ materiâ: Authore: Forma: Virg. Matrem, Monicam, Aug. Euodiũ, alios gestasse: & quare: Mixtim pluscula à me vulgata, nec vulgaria.

E Cingulo breuiter & succinctè dicam: an non etiã de Balteo? talem gestarunt diuinæ militiæ, Duces strenui, Helias, Petrus. Paulus, armiger & præcursor Regius Ioannes; cuius delitiæ locustæ, cuius Balteus *Zona pellicea.* Agminis insuper ille nostri ductor Augustinus tantorum heroũ cucurrit in exempla, & *Zona quasi balteus. Apostoli cincti.*

Præcinctus corrigiâ,
Vt Ioannes, redimitus
Est zonâ pelliceâ.

Ex hymno festi Aug.

Pagani singula corporis membra, Dîs singulis sacrare soluerũt, frõtem Genio; Iunoni brachia; Neptuno pectus; renes Cypridi; Mercurio pedes; lumbos Mauorti: Augustinus *accinxit fortitudine lumbos suos*, sed *Castitati deuotos.* Castra dicta quasi casta, aut castrata; à quibus mulieres arceantur. Dux noster miles haud mollis est, qui pellax fœmineum genus à castris suis (à claustris dico) repellet. Quin & Euodius conatus eius promouebit nouus commilito, qui *reli-* *Zona castitatem denotat. Castra vnde dicta. Euodius zona cinctus Cõf. l.9.c.8.*

ctâ militiâ sæculari in sacrâ accinctus est.

Sic & Monica ad imitationẽ Virginis Mariæ.

Matris suæ suasu cinctum fuisse Augustinum Zonâ pelliceâ, suggerunt mihi Paulinus Bergomensis, & Aug. Tolentinas. Pictissima illa Monica, Marianam non modò vitam, sed & habitum adfectabat imitari: & quia de eo parùm constabat, fusis precibus, in excessu mentis nescio quo modo Virginem vidit è nube lineâ caput exerentem, tunicâ nigrâ, talari; *pelliceo Cingulo* circumamictam. Exindè tale Monica, tale Felicitas & Basilica, tale denique Augustinus, seu Simpliciani, seu matris exẽplo circumferebat. Nec à cæteris ferè Monachis æui sui dignoscendus facilè, nisi *Cingulo pelliceo*, vt scribit Valerius. Aduertit nempè vir sapientissimus quantus vbique & quàm mysticus ac frequens Cingulorum vsus in Deo, Angelis, Sacerdotibus, militibus. Daniel, Tobias, Ioannes, Angelos vident: Zonis aureis præcinctos vident. Filij Aaron in Sacerdo

Aug. differtab aliis Monachis solo penè cingulo.

Aug. quare motus ad gestandum cingulũ, coniectura mea.

Angeli cincti & Sacerdotes.

cerdotes consecrandi sunt: Balteis cinctos iubet Deus. Vult ipse Aarō Sanctuarium ingredi: ne discinctus accedat capitis supplicio cauetur. O tu, quisquis es, si sacris diuorum operibus manum admouere vis, priùs cingere: si viam cœlitem ambulare properas, succingere: si Dei ministerio sedulus inhærere paras, præcingere: si denique fortis Athleta lacertos in arena spiritali exercere ardescis, accingere: ducem Christum habes: en, *accinctus est potentiâ*.

Cingulo semper opus omnibus.

O vis in Zona mira & memorāda! circumfer oculos; variis intertextam coloribus terram vides: fœcundâ rerum copiâ vndas, mare, aëra, teipsum denique grauidum sentis: & nostin' vnde tot bonorum gargara? à cœlo in solum per cingulum (quod *eneph* dixêre Ægyptj) dimissa sunt. Ζωδίακος ille mundi cinctus, in manu Dei est: Sole per eum annuos currente cursus, variis dotamur donis, veris ditamur muneribus. Ad hoc adspexit Lucanus:

Cingulū mundi quale.

— —Mortalia secla supernè
Aurea de cœlo demisit funis ab alto.

Et vates Regius: *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ; & campi tui replebuntur vbertate.* Quodq́ue illi, Zodiaci circulo tribuunt, Const. Archipræsul Germanus, longâ acuratâq́ue oratione ad Virginis Mariæ Zonam deflectit: cuius vel tactus solus, Zoen Leonis Imperatoris vxorem præsentissimæ eripuit morti. Zonam illam ab æuo Arcadij Imp. ad sua vsque tẽpora *illæsam Constantinopoli seruatam* author est Euthimius. Inde Canturbiã delata stupendis innotuit miraculis: tandemq́ue ad Gallorũ * Senones in claustrali Sãctimonialium templo hodie adseruatur. Virginis Zonam Virgines habent, & quæ Christi templum (vterum B. Mariæ sic voco) circumcinxit, virgineo iam templo cingitur.

Cingulũ Virginis Mariæ vbi.

** Soissõn.*

O Vestales! mundum muliebrem possidete, auro, smaragdo, margaritis preciosiorem. Cestum virgineam virili manu nonquã solutam; virgineo

lacte

lacte toties rigatam. Illam continuis oculis adspicite, suspicite; Virginis Zonam, manu virgineâ virgines seruate, obseruate. Nos quoque quando eam ipsam non possidemus adsimilē noctesque diesque geramus: *Monachum enim militem Christi, in procinctu semper belli positum, accinctis lūbis iugiter oportet incedere.* Sic Augustinus, Euodius, Africani reliqui quotquot ab eius disciplinâ prodière. E quibus commendatione notior vnus occurrit Fulgentius: *qui nec deposito saltem cingulo, somnum petierit.* Ne scriptionem recusa, *bonum & antiquum* adserit Lipsius authorē, quisquis est.


Monachi olim nocte & diu cincti.
Cassian.



DISSERTATIO
SEXTA.

De Pallio, varia & curiosa: Græcorum & ægrorum proprium: Etiam Monachis solemne: Varia eius forma &

nomina: Item de Byrro: Erasmus explosus: Eusebij Mediol. lapsus.



ALLIVM Græcis tam propria vestis, quàm Romanis toga. Illius tamen vsus ad alios dimanauit: vt etiam Philosophis, ægrotis, Monachis communicari cœperit. Philosophis, inquam: nam & Aulus Gellius: *Video*, inquit, *Pallium & Barbam: philosophum nondum video*. Quo indicio talem ille agnoscit, eodẽ * I. Lipsius ægrotum facilè diuinat Crispum Salustium, quia *palliolatus* dicere surrexerat. Num nouo more? Romanis saltem inuiso. Ideoque Monachis, qui Augustini temporibus, palliatim ambularent, insultantes dictitabant: *Græcus est, palliatus est*. Id indumenti etiam genus Apostolis in vsu fuisse Theodosij Imperatoris aureum numisma conuincit: in quo SS. Apostolorum Ioannis & Philippi icones tõsurâ caput insignitæ; *simulq;*, verba Baronij refero tom. 4. *palliola intelligas*,

Lib. noct. Attic.

* *Satyrâ manippeâ.*

ligas, humeros ac pectus decorè ambientia. Pallium hoc, quàm multis nominibus palliatum reperio! Clamidem illi, aut Penulam dicũt; hi Epitogium; Byrrum & Byrram ſcribunt alij: nec ſcitè tamẽ omnes; nam Clamis militum, Penula curſorum veſtis. Fateor, haud ita à verâ ſignificatione aberrant (vt eſt etymon) qui Epitogium nominant: quaſi ſuper togam, aut tunicam poſitum; cùm Pallium dictum ſit, quia palam omnibus adpareat.

Formam eius pingẽtem Ioannem Hieroſolimitanum audire, operęprecium eſt: *Pallium*, inquit, *fuit veſtis rotunda, à collo vſque ad medias tibias, totum corpus operiens: anteriùs aperta, ſed alibi vndique clauſa; ſuperiùs anguſta, inferiùs amplitudine expanſa.* Graphicè quidem; ſed in menſurâ hæreo. Ad medias tibias? Græcorum id potius, quàm Monachorum. Illi Pallio, hi verò Palliolo, aut Palliaſtro, id eſt, viliori ac breuiori Pallio contenti incedebant: *quo tàm a-* *Palliaſtrum quid.*

mictus humilitatem & vtilitatem, inquit Cassianus, *quàm pretij compendium sectantes, colla pariter & humeros tegunt*. De Paulino memini; qui cõseruos suos (sic Fratres vocat) *sagulis* dumtaxat, *palliatos*; hoc est, Palliastris amictos, volebat. Et Fulgentius noster, *nigello Pallio circumamictus incessit*. Nigello Pallio: id est, Palliolo nigro. Nec dubium, quin in hoc, sicut in cæteris, exemplum Augustini secutus, qui simili semper vsus est, donec in Sacerdotium euectus, Pallium pro more, commutaret Byrro.

S. Fulgentius palliatus exemplo Augustini.

De Byrro.

Hanc vestem Fab. Ferrarius in suâ *Mundi Fabricâ*, Pluuiale & Amphibolum vocat. Pluuiale, quia arcendis pluuiis cõmoda; Amphibolum, quià vtrinque vagè dependens. Propterea Amphibologicus ille seruus, apud Terentium, Byrrhia nominatus est, quòd huc illúcque discurrens vagaretur. Penulam ego dixerim, si ornatum addas: nam Byrrus quidem licet villis hispida, nequaquam vilis erat; nec, vt Pallium, abolla, sed variè

In And. act. 2.

claua

clauata, purpurâ & id genus colore ebria. Sacerdotibus ideò concessa, Monachis autẽ denegata, nî & ipsi honoris gradu insigniti, aut Episcopali dignitate decorati forẽt. Hoc ipsum tangens Augustinus, libr. de com. vit. Cler. *Offerant*, inquit, *verbi gratiâ, Byrrum pretiosum; fortè decet Episcopum, quamuis nõ deceat Augustinum: id est, hominem pauperem, de pauperibus natum.* In quæ verba eructans Erasmus *magis dicendum erat*, ait, *non decet Monachum.* Ehem! quis hanc tibi nauseam mouet, Erasme? dic, rogo; vt auersum tibi recõciliemus stomachum. Ergò nõ satis Monachum eloquitur cùm se Episcopũ & pauperem dicit? vbi vis apertiùs? vbi clariùs? Agè tamen, si adhuc ægrotas, Pallio vtere: & præsens antidotum, huius Medici manibus sume, quẽ Monachum ignoras: *Fateor*, ait, *de pretiosâ veste erubesco, quia non decet hanc professionem.* Et quam, nisi Monasticam, intellegit? Hoc deuora, & erasmisare desine.

Vestem Episcopalem fuisse & Sacerdotalem.

Erasmus explosus.

Tu


Euſ. Mediol. refutatus.

Tu quoque, Euſebi, ope indiges Æſculapij, qui tibi ter helleboro caput expurget: neſcio enim, quo cerebelli tui vitio, Monachum meum non agnoſcis, quià *purpureo Byrro vtebatur*. Magnum, mecaſtòr, piaculum! ah! parce quæſo: ſeuerus nimis es, minúſque verus. Quin S. Seuerum, ſi placet, placidus audi & pacatus, virum authoritate & antiquitate grauiſſimum: Ille Monachum inſectatus, qui clericali dignitate & Byrro abuteretur, hæc ait: *Si quis clericus fuerit effectus, dilatat continuò fimbrias ſuas; gaudet ſalutationibus, inflatur occurſibus; & qui anteà pedibus aut aſello ire cōſueuerat, equo ſpumante ſuperbus inuehitur: paruà prius & vili cellâ contentus, erigit celſa laquearia, conſtruit multa conclauia, ſculpit oſtia, pingit armaria, veſtem reſpuit großiorem; indumentum molle deſiderat; ac virginibus mandat tributa; illa vt Byrrum rigentem, hæc vt fluentem texant lacernam.* Viden', Euſebi, non Byrri vſum in Monacho, ſed abuſum carpi? Hoc

cap. 4. Dialogorum.

habe:

habe: Augustinumque Monachum Pallio, Sacerdotem ac Episcopum eundem posteà Byrro ornatum, intellege, & tace.



DISSERTATIO SEPTIMA.

De Calceamentis diffusa & libera collectanea: Christi, Apostolorum, & antiquorum, qualia: S. Scripturæ loca aliquot illustrata, præter vulgatū sensum: Et primò, Regulæ Augustini lux data.



ARENS ille noster Beatissimus cap. 9. Regulæ Fratribus datæ, de Vestibus & Calceamētis, præcipit ad hunc modum:

VESTIMENTA VERÒ ET CALCEAMENTA QVANDO FVERINT INDIGENTIBVS NECESSARIA; DARE

RE NON DIFFERANT, SVB QVORVM CVSTODIA SVNT QVÆ POSCVNTVR.

R.F, Rabachij vera laus.

Verba hæc multorum ingenia exercuerunt, paucorum immò nullorum, quod ſciam, calamos. Si quando de veſtibus Auguſtini mentio incidit, demùm in Calceamentis hæretur. Variis opinionum ventis exagitâtur quæſtiones iſtæ: An Chriſtus calceatus? an Apoſtoli? an Monachi reliqui? Et cùm in vmbrâ exaggeratè multa dixerint, inſoluto nodo diſcedūt: nec certi quidquam de Calceamentis in lucem emittunt. R.F. Rabachius, vir inter primos Franciæ pietate an ſcientiâ verè Auguſtinianus; cùm pluſcula huius Regulę obſcura loca, vtiliſſimis notulis nuper illuſtraſſet, controuerſiæ meæ hunc locum ſilentio præteriit. Noluit, ſcilicet, homo non minùs ingenuus quàm eruditus, in ambiguam verborum litem deſcendere, quam ante nos plerique omnes diffugerūt. Robertus Richardinus in *Exegeſis* ſuæ com

commẽtario, eadem verba quasi per se clara etiam dissimulat. Quid cõmemorem alios, qui similiter grallatorio gradu lubricam huius loci glaciem transiliêre ? Quare cùm nemo homo paulò curiosiùs id fecerit, nos sententiam nostram depromamus; & stilo modestè audaci in publicum diffundamus.

Antequam autem rei ipsius nucleum tangam, quæro: quid est Calceamentum? & quid Vestimentum? Corpus hominis quãtum est, Vestimento & Calceamento tegitur. Pilleus, cucullus, thorax, tunica, toga, pallium, feminalia, cruralia, tibialia: Vestimenti nomine cõtinentur. Soleæ, crepidæ, calones, gallicæ, calopodiõ, soccus, cothurnus, pero; Calceamenta sunt. Vnde ordinis nostri F. Ambrosius Calepinus notat: *Cum alicui Calcearium aut vestiarium legatum dicimus, non Calceum vnum, non Vestem vnam significamus; sed tantùm Vestium aut Calceorum, quantùm illi corpori honestè tegendo, pedibusq; armandis*

Calceamentum quid.

mandis fuerit ſatis. Quæ omnia vnico *teguminis* nomine, ab Apoſtolo intelliguntur quãdo 1. ad Tim. 5. *Habentes*, ait, *tegumina, his contenti ſimus.*

Sed quæ? & quâ formâ? nempe qualia adſumere iuſſus Petrus in carcere, cùm intempeſtâ nocte monentis Angeli vocem audiit: *Præcingere: calcea te caligas tuas: circunda tibi veſtimentum tuum.* Solutam togã Cingulo ſtringit, Calceos induit, Pallium ſumit. Togam, Cingulum, Pallium qualia fuerint, hactenus oſtendi ſatis; Calceos nondùm. Quos ſi in Apoſtolorum Principe certos inuenero, de Auguſtini Calceamentis nulla penitùs dubietas relinquetur; quandoquidem *ſtatuit viuere ſecundum regulam ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam.*

Fundamentum eorũ qui Apoſtolos nihil poſſidentes fuiſſe docent. Verùm, parùm mihi non obſtat quod Lucæ 10. dixiſſe Diſcipulis Chriſtum accepimus: *Nolite portare ſacculum, neque peram, neque Calceamenta.* Et hoc, quidam valere in perpetuam eorum nuditatem volunt.

Fru

Fruſtrà : nam ad tẽpus data Lex illa: quæ nec decorè ſeruari, nec ſine valetudinis iacturâ, ac Euangelij diſcrimine obſeruari, perpetuò poterat. Contentus itaque Dominus, æſtus, famis, frigoriſque patientes diſcipulorum vires tentaſſe, factũ mutat; & ſancitam legem ſoluens, *dixit eis: quando miſi vos, ſine ſacculo & perâ & Calceamentis: nonquid aliquid defuit vobis?* reſpondentibus autem *nihil*, ſubiunxit; *nunc, qui habet ſacculum, tollat: ſimiliter & peram*, &c. quaſi diceret: poſthac, ipſa poſſidete. Et Chriſtus, quod ſciatis, duas tunicas habebat. Paulus penulam poſſidebat: quam Troade cum codicibus relictam apud Carpum, ſeriò ſibi referri, à Timotheo poſtulat. Petrus denique, togâ, pallio, Calceamentis vtitur. Et Angelo dicente, *calcea te caligas tuas*; ſine morâ, *fecit ſic*. Habebat *caligas*, id eſt, tibiarum tegumina; & illas *calceabat*, hoc eſt, pedũ calces illis armabat: ità, vt vno eodemque negotio, tibialia, Calceoſq; indu

Chriſtus duplicibus veſtitus.

Paulus Penulam poſſidet.

Petrus togã pallium & calceamenta.

indueret, quibus tibias & pedes armaret. Ita calceatum Faustulus Mantuani iubet esse Cādidū in Ecclogis:

—*Perone pedem tegito: spineta colubris*
Plena, hominum vitæ morsu insidiantur amaro.

Vbi commentator Murmellius, *perone*, inquit, id est, *calceamento crura ambire solito.* Dixit ideo Festus: *tibiatim calceare*, quod textui Biblico respondet: *calcea te caligas tuas.*


Adeste nunc, adeste, qui soleas aut crepidas, aut baxeas fuisse vultis: ego contrà, perones rusticos, vel certè vrbanos fuisse soccos conceptissimâ demonstratione probabo. Ad Græcum Interpretem, scio, recurritis: sed audiatur: Ὑπόδησαι τὰ σανδάλια σοῦ: quod verbo tenùs, *subliga sandalia tua*, significat. Et ex hoc mustaceo laureolam arbitrantur reperisse se Sādaligeruli nostri: Sādalia, clamāt, Sādalia; & quid velint, qualiáve fuerint Sandalia non nouerunt. Neque enim virile fuit vnquam Sādalia gerere, quæ mulieres tantùm nobiles gesta

Sādalia, calcei fœminarū.

geſtabant; & aliæ, ſi quando dies Genialis in lætitiã vocaret. Apelles ſuæ picturæ irriſorem pungens, *Qui non poteſt Venerẽ*, dixit, *carpat Sandalion*. Sed ne Prophanos citem; Iudith illa virago ſuorum vltrix, mẽdaci fronte fraudem parans hoſtibus; cilicium ſepoſuit, cum lachrymis inducias fecit, *vnxit ſe myrto, diſcriminauit crinẽ capitis ſui, induit ſe veſtimentis iucunditatis, induitq; Sandalia pedibus ſuis; aſſumpſitq; dextrariola, & inaures & annulos.* Videte precor, ſi Sandalia confunditis cum ſoleis, (quibus tantùm ſubtegantur plantarum calces, ſuperiori parte pedis nudatâ;) quâ tandem pœnitentiã adducta voluptatum mater Venus geſtarit: quâ cauſsâ Hebræa illa virago, Tyrannũ Aſſyrium acceſſura, ſuperba, magnifica, veſtibus inſolens, aureo onuſta mundo, Sãdalia induerit, vt ornatior adpareret? Næ, vos riſum iocumque mihi excîtis, ſi ita ſentire & loqui pergitis.


Libro Iudith.

DIS



DISSERTATIO OCTAVA.

Rursum de Sandaliis, & id genus, variæ assertiones: Tandem detersa & detecta omnia ipsissimis Augustini verbis.



ANDALION calceamẽti genus, vt dixi, fœmineũ, ornatum & elegans; quod Galli *mulles* nominant, quasi *bulles* dicerẽt: quià bullis, id est, clauis argenteis, aureis, aut emblematibus olim variegata. Tales adhuc Hispanicarũ, Italarumq; nobilium sunt calcei, *çapines* dicti; sublimes, discolores, aurei plerumque, aut argentei.

Sandalia sumi pro quouis calcea- Postea tamen quæuis calceorum formę vocari Sãdalia cœpêre. Patet ex Hieronimo, viro omnium senten- tiis latinissimo, qui quæ in Isaiâ calcea

ceamenta dicuntur, cum Sandaliis confudit. Ità vt ad ſenſum eius, cuiuſuis formæ calcei (excipio ſoleas) rectè Sãdalia poſſint dici. Nec aliter intelligendum Bonifacij Pontificis, & Epiſcoporum Franciæ *Decretum*; qui annò IↃ CCXLII. ſtatuerunt, *vt vnuſquiſque preſbyter Miſſam ordine Romano cum Sandaliis celebret*: hoc eſt, vt nullus pede nudo, aut cum ſoleis (quas Sandalia ineptiſſimè vulgus vocat) altare accederet. ideoque RR. PP. Capucini, illis ſepoſitis, celebraturi Baxeas induũt. Et, ne quid omittam, LXX. Interpretes vocẽ Græcam τῶ σανδάλιων, Latinè ſemper calceamenta reponunt. Quodq́; hoc locò habetur ὑποδῆσαι τὰ σανδάλια σῶ (id eſt, ſubliga ſandalia tua) Ioan. Lorinus haud mediocriter eruditus calceos adfirmat, qui talos contegebant medio crure tenus, vt à ruſticis & peregrinis vſurpantur: quales ego ſuperiùs Perones, aut Cothurnos vrbanos nominari propriè, & Apoſtolis conueniſſe, edocui.

mentorum genere.

Omnis Sacerdos tenetur celebrare cum ſandaliis.


Nunc

Nunc videamus quomodo placeat Augustinum calceatum, cùm iam de Apostolis abundè cõstet: an non etiã de Christi calceis? Ille Apostolis suis præiuit in omnibus, *nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius.* Vestigia ista nudo pede presserunt multi. Et Eremitæ quidem præcepti diuini sensum non capientes, Tunicas, Peram, Calceos, spernebant: quin, & obuios sibi & salutantes salute dedignabantur; quia scilicet, dixerat Dominus: *Neminem in viâ salutaueritis.* Scrupulosè nimium. Augustinum eiusque Fratres mordebãt clãculum, quasi Canonis Diuini cõtemptorem. Quid? inquiebãt, Monachus est Augustinus; amicos attamen colit, salutat: Tunicas, Peram, habet & Calceamenta. pessimo exẽplo; Christum saltem audiret, *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta*: haberet pudorem; cogereturque non modò dici, sed & agere seriò quod profitetur. Hæc & similia ingerebant quottidiè boni quidem,

Simplicitas quorundam Eremit. carpentium Augu. quod calceatus esset.

quidem, ſed ineruditi viri, quorum dentes diutiùs rodentes non ferens, exarmat tandem; docetq́; haud crudè adeo admittenda illa Euangelij verba de Loculis, Calceamẽtis, Salutationibus: ſe autem, ſuoſque exemplo Chriſti Loculos, Calceamenta, Salutationes, poſſidere, geſtare, reddere: *Ipſe Dominus Loculos habuit in viâ: & ipſos Iudæ commendauerat (patiebatur quidem furem.) Sed ego à Domino meo diſcere cupiens, dico: Domine patiebaris furẽ; vnde, habebas Loculos, & erat vbi furem patereris; ſi non portares, nec ille inueniret quod auferret.* Serm. 1. de Apoſtolis.
Et paulò poſt cap. 6. pergit: *Calceamenta quid ſunt? Calceamenta quibus vtimur, coria mortuorũ ſunt, nobis tegmina pedum:* (non dicit ſubtegmina plantarum) *per hoc ergò iubemur renunciare mortuis operibus. Nam de his Calceamentis quibus calceati ambulamus, conſolatur me idem ipſe Dominus meus, ſi enim ipſe calceatus non iûſſet, non de illo Ioannes diceret: non ſum dignus ſoluere corrigiam Calcea-*

mentorum eius, &c. Rursum: *Ego, inquis, Euangelium impleo, quia nudo pede ambulo. tu potes, ego non possum; quod simul accepimus, simul custodiamus. Ac sic fit vt ego amem fortitudinẽ tuam, & tu portes infirmitatem meam. Quid autem tibi videtur, qui non vis intelligere queadmodum ista dicta sũt; & cogeris prauiter ipsi Domino calumniari de loculis & calceamentis? Ergò stoliditatem deponamus, & verba Domini intelligamus.*



DISSERTATIO NONA.

Pro vestibus conclusio: Bulla Alexand. IIII. super ijs aperta: In eâ rara & curiosa. De Pilleis Franc. quædam libatio: & per occasionem, Doctores aliquot Parisienses recitati.

DE vestibus dixi sufficientissimè, si Baculum adiunxero: qualegestasse (vt cęteros sileã) vnus Helias mihi testis est. Recolo igitur quæ dixi multa : & paucis his reuoco in compendium petitis ab Alexãdri IIII Diplomate, dato & sancito Aquariæ, anno M. CCLVIII. & ad omnes Italiæ Episcopos scripto: sicut adhuc in Archiuo nostro Parisiensi, curiosè reseruatur: *Quia dudum apparuit Religio in partibus Lombardiæ, cuius professores vocati Eremitæ ord. S. Aug. qui nunc succincti Tunicis Baculum portabant in manibus: nunc verò dimissis Baculis incedebant,* &c. *Et cùm per nos tunc in minori officio constitutos, &* R. *M. T. S. Sabinæ Præsbyterum Cardinalem in partibus illis legatione fungentes; huiusmodi variationis præsumptio ad felicis recordationis Gregorij Papæ prædecessoris nostri audientiam dimanasset: statuendum præuidit, vt Priores vniuersi ac singuli fratres prædicti ordinis,* * *antiquis vestimentis suis contẽti ma-*

* Nota lector.

neant, largas ac protensas Manicas: & desuper Cucullos deferant & peramplas Corrigias, patenter omnibus apparentes, &c. *Portantes in manibus Baculos quinque palmarum grandium. Ac expressè in eleemosinarum petitionibus, cuius sint Ord. declarantes: adeò suarum vestium longitudinem temperent, quod à quibuscumque, eorum Calceamenta liberè videantur,* &c. Quæ singula quàm ad normam seruemus adparet. Baculos quidẽ discretè seposuimus, quia tempori & locis parùm congruos. Agros olim, rura, montes, & saxa habitabant nostri: ad quorum ascẽsum Baculi ministerio opus; sed vrbes incolentibus quis vsus? iure itaque abrogatus.

Pro vestibus pugnaui, Lector. Tu, si vicisse me in hac Amphitheatri arenâ sentis; agedum, Rudem profer & Pilleum, tanquam legitimo, & de pugnacissimis gladiatoribus vni. Illi namque *si libertatem impetrarẽt, olim mos erat, vti pillearentur, id est, Pillei impositione liberi iudicarentur.* Pilleus

Mos priscus de Pilleis ex Lips. sat. ser. c. 23.

ergo

ergo Honoris ſymbolũ & Virtutis: nec antiquorum, ſed & æuo noſtro vſitatiſſimum. Doctrinæ titulum quiſquis adeptus Pilleo donatur. Primò quidem virorum ſæcularium ambitio fuit, poſteà Ordinũ omniũ: & qui renuebant & reſpuebant boni, etiam coacti vel prece vel pretio admisêre. Et de noſtris quidem, Galli vnâ cum onere Honorũ inſignia, hoc eſt, Pilleos ſumpsêre, cùm primaria Pariſienſis Academiæ pulpita quatere incæperunt multi & magni viri. Quos inter, paucos hos, qui occurrunt, memoro: Ægidium Colũnium, Henricum de Vrimaria, Albertum Patauinum, Auguſtinum de Ancona, Bernardum Oliuerum, Alphonſum Vargas, Gerardum Bergomenſem, Thomam de Argentinã, Gregorium de Arimino, Vgolinum Malabranca, Conradum de Montepuellarum, Bonauẽtum Patauinum, Ioannem de Lana, Henricũ de Haſſia, Raymondum du Haut-pont, Iacobum cognomento Magnum, Lau-


rentium Coloniensem, Iacobum de Viterbio, Ioannem Vuilton, Thomam Boorstale, Henricum Bendericum. Quorum quidem alij Itali aut Hispani: Illi Germani aut Angli: hi Belgæ aut Franci: publici professores omnes, omnes Pilleo donati, & multi Infulâ. Nec scio num ab illis magnis, ad cæteros eiusdem voti deriuata Pilleorum passim per Franciã latio: facilè enim magnorũ in exẽpla ruimus.

Nemo suos (hæc est Aulæ natura potentis)
Sed Domini mores Cæsarianus habet.

Ita à Naturâ comparatum vt cerei simus singuli in magnatum sigilla: præsertim si lucelli quiddam aut honoris inibi latitat. Bona imitatio si sanus vsus: sin malus, vetãdum clamo & vitandum. *Rudiarius Pilleari* desinat. Et cautio seruetur antiqua: ne sæpius illa Horatij ad Mœcenatem cantio malè cantetur:

Spectatum satis, & donatum iam Rude,

de, quæris,
Mœcenas iterum antiquo concludere
Ludo?
Non eadem est ætas, non mens. ——



DISSERTATIO DECIMA.

De primâ Ord. institutione: Vbi: quando: quibus Fratribus: ab opinione vulgatà discessum: Segisbertus correctus, & cum eo alij: Pamphili, Possidij, & aliorum præteritio: Item in Licentio mendula.



DOLEO equidẽ, tam breuiter & perplexè ad posteros scriptis relictum quid acceptâ baptismi gratiâ, nouoq; suo instituto egerit Augustinus in Italiâ: vbi, apud quem, quàm diu. Quæ obscurè adeò insinuantur, vt Oedipode Dauo mihi sit opus. Nam cùm de

pueritiâ, adolescentiâ, iuuentute suâ pluscula dixerit, de Monachismi sui exercitio in Italiâ habito, hæc tãtùm paucula lib. 9. Conf. ca. 8. *Simul eramus, simul habitabamus placito sancto; quærebamus quis nos locus haberet vtilior seruientes tibi: & pariter remeabamus in Africam.* Et, si laconismi ac breuitatis caussam inquiro, respondet: *multa prætereo, quia multùm festino.* Nec pluria aperiens, ad Deum conuersus, *Accipe*, clamat, *confessiones meas, & gratiarum actiones de rebus innumerabilibus etiam in silentio.*

Nostræ itaque curiositatis erit indagare sagaciùs res illas innumerabiles, quas silentij nube inuoluit eius festinatio. Nec enim desunt Oracula quæ latentes & abditas has nobis reuelent Cortinas: *Simul*, inquit, *eramus; simul habitabamus placito sancto.* Locus à Segisberto eius coætaneo, & oculatissimo quærẽdus teste: *Augustinus*, scribit, *mox ad virum Simplicianum perrexit, cum quo ferè per annum cum dimidio permansisse vidi.*

Augustinus cum Simpliciano vixit, & quàm diù.

De

De temporis termino, ambigem: *Annum cum dimidio?* fieri non potest: intereà enim in Africã venerat; aut certè Romæ ad Ostia Tiberina maris fidem opperiebatur. Quintâ die Maij anno ætatis suę XXXII. incœpto baptizatus est; de matris autem obitu loquens, *trigesimo*, ait, *& tertio ætatis meæ, quartâ die mẽsis Maij, carne soluta est*, ad Ostia Tiberina. Ex quo Plautinianum mõstrum colligam, & cum Amphitruone audebo iurgare:

——tun' dicere audes
Quod nemo antehac vidit, nec potest
fieri; vno tempore
Homo idem duobus locis vt simul sit?

Quomodo ad Tyberim cum matre, & ad Mediolanum cum Simpliciano, eodem planè tempore? Quomodo ergo *ferè per annum cum dimidio* Simpliciani consuetudine vsus est? Abusus est, & error typographi, qui *per anni dimidium*, posuisse debuit. Error ille multos & magnos viros *Segisberti mẽda.*

traxit in deuium. Téne inter eos, mi N.N. qui hoc non aduerteris? Credo grauioribus, vt soles, occupatum minuta illa præteriisse. Ecce, quàm exigua caussa, quę scriptorem offendat, & legenti tenebras offundat. Rectè reposui *per anni dimidium*: mensibus scilicet quinque; vt sic ad Octob. Kal. egrederetur remeaturus in Africam.

Verùm, quærendus quis locus exceperit in viâ; vbi hyemarit; vbi nascentis odores veris expectarit cum suis; antequam Romam pergeret. D. Antóninus *3. parte Chronicorum*, Pisani montis meminit; qui hinc indè lustra, casas, tuguriola multis præbebat Eremitis, mira simplicitate cœlitem vitam viuentibus. Huc Augustini itio: consilio, vt creditur Simpliciani: quò zelum, paupertatemq; eorum coram contemplari, atque adeò imitari posset. Ad quos cùm venisset, sciscitari cœperunt, quod genus, aut vnde? Ex præscripto igitur Simpliciani; qui essent, & quò pergerent,

Monasterij locus inuētus, vbi.

gerent, haud dubiè credentibus indicauerunt. Qui ſtatim, ſtudia ſua certatim in Auguſtinum & comites congeſſêre: & alius quidem veſtem, aliùs cibum, alius ſtratum offerre: mirum charitatis in pauperie certamen, ita pro ſe quiſque faciebat ſedulò. Ad montis ferè medium ſtabat cellula Sacello vicina & ſaxo exciſa: exigua quidem, ſed tamen reliquis capacior; & ingenio loci commendatior; propter vicini fontis garritus, arborum amænitatem; auiumqúe in illis cithariſantium frequentiam. Illam, qualis erat, vni Auguſtino deputauêre.

Ioſephus Pamphilus montis huius haud meminit in Chronicis: ſed nullo medio, Mediolano in patriam rectà reducit: *vbi deinde eam ſibi vitam delegit, quæ Monachica vocatur.* Delegit? an non antea? Poſſidius veriùs inſinuat; & *prius feciſſe* dicit, *in Italia.* ſed locum cur non adſignat? Nempè vt colligo, quia vix inhæſerat; aut non ita pro voto Auguſtini

cesserat Pisanum illud institutum: Ideoque prætereundum censuit. Haud sic tacuit Licentius alter Augustini discipulus, & toto, de quo agitur itinere, Acates indiuiduus; qui quod viderat in Italiâ versu Aonio pādit; & doctori suo memoriâ refricat, in hæc vota prorumpens:

Licent. apud August. ep. 39.

O mihi transactos reuocet si pristina soles
Lætificis Aurora rotis; quos libera tecum
Ocia tentantes, & candida iura bonorum
Duximus Italiæ medio, monteisq; peraltis!
Non me dura gelu prohiberent flumina cano,
Non fera tempestas Zephirûm, fremitusq; Borini,
Quin tua sollicito premerem vestigia passu.

Graphicè satis, tempus, locum, exercitium inibi habitum describit. *Non me dura g.p.f:* hyemis tēpus adsignat. *Italiæ m.m.p.* indubiè Pisanos dicit,

& ei

& ei adiacentes. *Ocia.t. e. c.*1.*b.* præſcriptam eis ab Auguſtino viuendi normulam docet : reſpiciens fortè Poetâ ad Didonem Virgilij, quę ſurgente Carthagine,

Iura dabat, legéſque viris: operúmque labores *Virg.*4.
Partibus æquabat iuſtis.——

Quod autem *ocia tentantes* ſcriptum comperi : quid ſi *tractantes* rependo? non planè incongruum videbitur. neque enim commodè dici video *tentare iura*, etſi *ocia tentare* dicamus. Si tamen quiſquam contradicit, non multùm pugnabo. *Mea coniectura, & leniuſcula ſcriptionis emendatio.*

Cæterùm palantes & errones ità aduniuit Auguſtinus, vt veſte, cibo, viuendique normâ eadem communi frui adegerit. forſitan & tecto: nam quis certò nouit, num qui ſtat adhuc * Conuentulus, ex præſcripto eius fabrefactus fuerit? Equidem in cellâ quæ eius vſui quondam deputata, reſtat Pegaſus, ** Lupo cauo dictus locus.*

—(*Quis hoc credat niſi ſit pro teſte Vetuſtas?*)


cu i

cui Pallium & Togam adpendere solebat.

Auis ataui, illi patribus, hi coæuis narrare & monstrare semper soliti. *Exercitia ibi habita.* Ad eá Cellam quasi Apollinis Tripodem, confluebant quottidiè, de cœlitûm gaudijs, de pænis Auerni, de vitâ immortali, Castitate, Paupertate, Obedientiâ, multa rogitantes: & quis discedebat non emendatior? quis non aliquo collecto veluti pietatis spico ab tam fœcondo agro & fertili? *Aug. reuertitur in Africam.* Transactis tandem mensibus aliquot, solicitante matre, valedixit, remeaturus in Africam.

Hæc illa multa quæ paucis insinuat: *Simul eramus*, id est: Mater Monica, Nauigius, Adeodatus, Alipius, Euodius, Licentius. *Simul habitabamus placito sancto*: hoc est, apud Simplicianum religiosè viuebamus. *Quærebamus quisnam locus nos vtiliùs haberet seruientes tibi*: quasi diceret; consilio Simpliciani, Eremitis Pisani montis prodesse optabamus: Sed conatu pro votis, haud succedente

dente, *Pariter remeabamus in Africam.*



DISSERTATIO VNDECIMA.

Ordinem in Africa rursus instituit: quo loco: quâ normâ: In vtroque erratum à multis: aliquot Regulæ locis obscuris lux data: Et pro Sermonibus ad Fratres in Eremo, Censura: Item antiquorum Eremitarum mores sciti.

PLANE, vt adfirmat Possidius: *ad propriam domum agrosque veniens, cum ijs qui ei adhærebant, Deo viuebat ieiunijs, orationibus, bonisque operibus in lege Domini meditans die ac nocte.* Instituti sui fautorem primum sic meminit: *Venientes de transmarinis, apud Carthaginem Innocentius ex aduocatis vicariæ præfecturæ cum totâ domo suâ religiosissimus, me & fratrem meum* cap. 4. Lib. 22. de ciuit. cap. 8.

Ali

Alipium, *nondum quidem clericos, sed iam Deo seruientes susceperat*. At vbi? Locum quidẽ meritò quærunt multi: & pro loco ego querar de multis. Alij vrbem, siluas alij, plerique omnes Eremum adsignant: quia scilicet ad *FF. in Eremo sermones* extant *Augustini*. Illósne vnquam Augustinus? Reuera ambigo ego; tanta vbique stili, reique deformitas. Quos vbi leuiusculâ lectione intuitus; ab ipso dictionis eneruatæ scabro, cœpi colligere suppositiios; & hominem semilatinum exercitij caussâ, vulgasse nobili titulo adumbratos. Sed cùm mentem meam aperuissem, grauiter reprehendebant, quasi gloriæ paternæ detrahentem: simpliciter ad simplices scriptos; & alia compluria addebant, quæ ad fidem mihi parùm addebant.

Possid. Illiteratin' & simplices illi, qui *cum S. Augustino in monasterio Deo seruientes, Ecclesiæ Hypponensi clerici* *idem.* *ordinari cœperunt?* Illiterati, quos *magno desiderio poscere atque accipere in*

Episcopos Ecclesia vnitas cœpit? Doctissimus ille mihi cœtus ex quo *decem* *idem.* *venerabiles viros, continentes & doctißimos, Beatus Augustinus diuersis Ecclesiis, nonnullis quoque eminentioribus, rogatus dedit.* Et inter eos aliqui literas nesciuêre: scio. sed latinè nullus nesciuit, quod iam diu probatum tuli.

Aut si est aliter, vnum rogo: *Regula* nobis præscriptò obseruanda, ad quos scripta? nonne ad illos ipsos? vt, quid ergo in hac Latinè, in illis barbarè loquitur? Stilo dissimili cur eosdem docet? Quæ tergiuersationis ratio & caussa? non video. Latialis omnis regula *Regulam* admittit: sermo omnis Latinus *Sermones* respuit, qui sine solitâ Augustini venere iacent & languent. Itaque Barth. Vrbinas, Martinus Lipseus, Ianus Malburnius, Conseruatore Apostolico, Rhegij sub annũ cIↃccccxIII. reprobante, haud adprobant. Iure an iniuriâ, non disputo. Hoc vnum; nihil addi, nihil demi Augustino, si addan

addantur, si demantur.

Itaque cum nihil hinc certi liceat elicere, ad alia recurrendum nobis, & à siluis ad vrbem redeundum. Multis, vt faciam, moneor: Pro more incolebant Monachi Eremos, idest, loca secreta, & ab hominum frequentiâ segregata. Augustini maximè tempore: quando non siluas, vt anteà, non ferarum lustra habitabant, sed Vrbibus viciniores locos occupare cœperant. Sic, *erat monasterium Mediolani plenum bonis fratribus*: non in siluis, sed tantummodò *extra vrbis mœnia*. Et Aulici, quos dixi, dùm *apud Treuiros* ijssent spatiatum *in hortos muris contiguos*, irruerant *in quandam casam, vbi habitabant quidam serui Dei spiritu pauperes*. Facilis nunc & certa coniectura de loco Monasterij Augustini; præsertim cùm ipsemet testetur: *Quia disponebam esse in monasterio, beatæ memoriæ senex Valerius dedit mihi hortum, in quo nunc est Monasterium*. Nec horti in siluis esse solent, saltem remotioribus; sed aut

Lib. 8. cap. 6. Conf.

Ibidem.

Serm. de com. vitâ.

aut in vrbe, aut certè ad vrbis mœnia & ſuburbia. Planè ad mentem Antonini qui *prope Hipponem* fuiſſe recitat *in nemore*, id eſt, vt ſcribit Feſtus, *in ſyluâ voluptatis & amœnitatis* ergô comparatâ: quæ non in abditis & horrentibus locis, ſed ad vrbes conſtitui ſolita.

Habito Monaſterio, quid factum tandem? *Cœpi*, inquit, *boni propoſiti Fratres colligere, compares meos, nihil habentes, ſicut nihil habebam, & imitantes me: vt quomodò ego tenuem paupertulam meam vendidi & pauperibus erogaui, ſic facerent & illi, qui mecum eſſe voluiſſent, vt de communi viueremus.* *Aug. cõgregat religioſos.*

Progreſſum ſuum, reíque ſucceſſum tacet minimè, ad Hilarium ſcribens: *Quantùm in hâc perfectionis viâ profecerim, magis quidẽ noui ego quàm quiſquam alius homo: ſed magis Deus quàm ego. Et ad hoc propoſitum quantis poſſum viribus alios adhortor: & in nomine Domini habeo conſortes, quibus hoc per meum miniſterium perſuaſum eſt.* *Epiſt. 89*

est. Cumque consortes suos Monachos dici libuisset: de farragine Donatistarum vnus & alter *perrexit ore maledico arguens etiam me* (Augustinum) *quòd hoc genus vitæ à me fuerit institutum.* Audire propemodùm videor Caluinianæ sectæ nouatores, ore contorto Monachorum nomen stomachatim expuentes, sibilantes, sannantes. sed dicite seriò, Aurelius vos rogat: *Inuenistis vnde appellatis Agnostici?* (vtinam tales sitis!) *quia dicit Apostolus: Bonum agonem certaui. Quare ergo & nos non appellemus Monachos, cùm dicat Psalmista: Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare Fratres in vnum?*

Aug. cōtra Petilian.

Enarrat. in Psal. 132.

Monachi vnde dicti.

Ad hunc modum congregatis, quis vitæ modus restat vt dicam. Qui licet ab *Regula* quoquo modo clareat, fructuosè tamen interpres fiam, totiusque regiminis ordinem paucis dabo. Diuisi erant Fratres per Decurias, atque Centurias, ità vt nouem hominibus decimus præesset; rursumque decem Præpositos centesimus haberet.

De constitutionibus Aug. in monasterio.

haberet. Decuriones verò & Centuriones omnes, vni ſuberant Presbytero, ad quem rerum ſumma deferebatur: & ſic intellegendũ illud Regulæ: *Præpoſito tanquam Patri obediatur, multò magis Presbytero, qui omniũ veſtrũ curam gerit.* Rurſuſque: *Ad Præpoſitum præcipuè pertinebit, vt ad Presbyterum, cuius eſt apud vos maior authoritas, referat quod modum eius vel vires excedit.* Plures ergo Præpoſiti, vnus verò Præsbyter, ideſt, Sacerdos. Nec ætatis ſed officij nomen eſſe diiudico: quamuis enim *omnis ſenex etiã presbyter* (verba ſunt Auguſtini) *non omnis etiam presbyter ſenex.* Huius itaque curæ erat rem ſacram curare, Synaxim conferre, & grauiſſima quęque diſponere tanquam iuſti & ſupremi arbitri.

Præpoſitus, aut prior quis.

Presbyter quis?

Munia eius qualia.

Non attinet huc cætera congerere, quæ ab ipſa *Regulâ* peti poſſunt. *Mutuam charitatem* taceo; de *ægrotantium curâ* nihil dico: *emendatoriam vindictam* prætereo; communia omnia è *cellario, veſtiario* fuiſſe, non

Præteritiones meæ.


eſt

est operæpretium pluribus referre, quæ per se clarent: aut certè per hæc clarebunt, quæ ex Hieronimo de-promam: *Prima apud eos confœderatio est, obedire maioribus, & quicquid dixerint, facere. Manent separati, sed iunctis cellulis. Vsque ad horam nonam nemo pergit ad alium, exceptis his Decanis* (id est decurionibus) *vt, si cogitationibus fortè quis fluctuet, illius consoletur alloquijs. Post horam nonam in commune concurritur: psalmi resonant, scriptura recitatur ex more, & completis orationibus, cunctisque residentibus; medius quem Patrem vocant, incipit disputare* (hoc est concionem habere.) *Quo loquente, tantum silentium fit, vt nemo alium adspicere, nemo audeat excreare. Post hæc, concilium soluitur; & vnaquæque Decuria cum suo parente* (Decano) *pergit ad mensam; quibus per singulas hebdomadas vicissim ministrant. Nullus in cibo strepitus est; nemo comedens loquitur. Dehinc consurgunt pariter; & hymno dicto ad Præsepia redeunt. Ibi vsque ad vespe-*

Mores antiq. monach. Hier. Epi. 27.


vespe

veſperam, cum ſuis vnuſquiſque loquitur & dicit: vidiſtis eum & illum quanta in ipſo ſit gratia? quantum ſilentium? quàm moderatus inceſſus? Si infirmum viderint conſolantur; ſi in Dei amore feruentem, cohortantur ad ſtudium.



DISSERTATIO DVODECIMA.

De institutione Canonicorum Regularium: Fraus Richardini detecta: Pro Regulâ noſtrâ variè pugnatum: Obiectiones in eâ deterſæ: De lotione veſtium locus apertus: Item in quandam Regulam Aug. ſuppoſitam, Cenſura Louanienſium.



NEscio, mehercule, quo fundamento nitanturij quî inſtituto noſtrò Canon. Regul. Ordinem præferunt: quem ſubſecutum tam ſcio, quàm me viuere. Mitto quid ſuper hoc decrerint

rint Pontifices maximi ; Vnus mihi ante omnes Possidius, qui litem dirimat: *Factus ergò presbyter Monasterium Clericorum intra Ecclesiam mox instituit; & cum Dei seruis viuere cœpit secundum regulam sub sanctis Apostolis constitutam, &c. Quod iam ipse priùs fecerat, dùm de transmarinis ad sua remeasset.*

Cap. 5.

Quæ verba, apertissimè iugulant imprimis Robertum Richardinum; qui, vt Alexandri Miluij Abbatis sui auribus daret aliquid, enumerans Ordines sub Augustini stipendio militantes: *Primus*, inquit, *inter omnes, nominatur & dicitur ordo Canonicorum Regularium.* Dicitur? audiui, sed à te primo & solo. Non est, falleris Richardine, non est. nos sumus, à tuo licet albo àbsimus.

in Exegesi.

Et vbi, inquiunt, *Eremitæ* nomen apud Augustinum? sed vicissim, rogo, inquam, vbi *Canonici* nomen apud eundem? Neutrum apertè comperias; vtrumque obscurè. Clericos olim dicebant, quos à *Canone*

Canonicos posteà vocauêre. Nos, certè, nomen etiam Monachi perdidimus, postquàm inuadentibus Africam Gothis & Vvandalis, variè hinc inde Eremos incolere cœpimus: vnde Eremicolas dixerunt posteri. Quin Tuscus ille Pontifex Leo, primus nomine; hunc *Ordinem Eremitarum sancti Augustini* dici sanciuit anno CCCCXLIIII. quem & adprobauit confirmauitque auctoritas Innocentij III. Gregorij IIII. Alexādri, aliorumque complurium.

Canonici vnde dicti.

Eremita vnde dicti.

Regularem itaque Clèricorum institutionem præcessimus annis aliquot; & licet ab eodem tronco duo rami simus, hic, illo priùs erupit, forsitan & altiùs. Siquidem REGVLA BEATI AVGVSTINI AD SERVOS DEI, primò, vt adparet, nobis est tradita. Multa enim aduerto quæ minimè congregato Clericorum cœtui congruant. Vtpute: *nec erigant ceruicem, quià sociantur eis ad quos foris accedere non audebant, &c.* Si præcepta hæc Regulæ

Regulâ Aug. Canon. minus conuenire.

Cap. 2. Regula.

Clericis tradita; quisnam, precor, verborum sensus? Adeóne viluit Clericus, primis illis Ecclesiæ temporibus? Vix adducar, vt credam tantam honorum dissimilitudinē & fortunæ. Fortunæ, inquam, quam sic delibat: *Rursus etiam illi qui aliquid esse videbantur in sæculo, non habeant fastidio fratres suos, qui ad illam sanctam societatem ex paupertate venerunt.* Ab eodem altaris ministerio venerant Clerici omnes: Quomodò ergo, ille ex *paupertate*, hic ex abundantiâ? cætera omitto. Contrà nihil nobis in hac Regulâ non conuenire comperio. Nisi forsitan vestis colorē, quē album colligūt ex his verbis: *Vestes vestræ lauentur siue à vobis, siue à fullonibus.* Nodus Gordius: quem quis Grammaticulorum non soluat? talis audiat, qui ab Amb. Calep. fraterna arma aduocem. Agite, Quid est *Vestis? Est generale nomen, quoduis significans indumentum tam virile quàm muliebre; quo continentur omnia lanea, linea, serica, bombycina, quæ induendi, præ*

Ibid.

Vestis quid propriè.

di, præcingendi, tegendi, amiciendi, insternendi, accubandique caussâ adparata sunt. Non est ergo vestis, toga tantùm (quod putant) sed strophiola, indusia, linteamina, mappæ. Quid est *Fullo? Qui purgādas, poliendasue Vestes accipit: ita dictus a fouendis aqua calida vestibus.* Quid ergo est: *vestes vestræ lauentur siue à vobis, siue à fullonibus?* hoc est: indusia, linteamina, aliaque eiusmodi, siue linea, siue lanea, lauentur à vobis, vel à fullonibus: idest, purgentur à vobis, vel à lotricibus. *Fullo unde dictus.*

Cautiùs aduerterat ista nobis conuenire, & superiora Canonicis haud satis quadrare, quisquis REGVLÆ CLERICIS TRADITÆ FRAGMENTVM obtrusit, suppositítio Augustini nomine insignitum. Nec quidquam peregit, qui hoc egit. Detecta etenim est tegna; & lata Louaniensium censura quam subiungo: *Doctorum consensus vnicam agnoscit S. Augustini* REGVLAM, *quæ hanc adpēdicem præcessit:* (nostram

intellege) *ideóque sequentes Regulæ, seu potius Regularum fragmenta, tam ex stilo , quàm ex doctorum virorum consensu, Augustini esse negantur.*

August. Canonicorum Regular. restitutor, non institutor.

Cæterùm huius instituti non tam inuentor Augustinus, quàm instaurator: nam & ante eum laudem primam Ambrosius, Eusebio Vercelensi Episcopo tribuit; qui eò Clericos redegisset vt Monasterij continentiam & Ecclesiæ disciplinam subirent: *Hæc*, inquit, *primus in Occidentalibus partibus diuersa inter se Eusebius sanctæ memoriæ coniunxit, vt in ciuitate positus instituta Monachorum teneret & Ecclesiam regeret ieiunij sobrietate. multum enim adiumenti accedit ad Sacerdotis gratiam, si ad studium abstinentiæ & normam integritatis iuuentutem astringat, & conuersantes intra vrbem abdicet vsu vrbis & conuersatione.* Nec Eusebio gloriam illam, sed Apostolis confert Possidius, loco toties citato & recitato.

Epist. 25.


Ad hanc itaque methodum, in

Afri

Africâ ſemper vixêre: donec Augustino defuncto, & Hyppone à Vvandalis deuaſtatâ, Gelaſius Afer natione, ad Pontificium euectus, profugos per Italiam, profugus ipſe in Lateranenſi Eccleſiâ conſtituit. Quam cùm annos totos octingentos occupaſſent, ſacrificiis diuinis, concionibus ſanctis, in communi ſemper vitâ degentes; Bonifacius VIII. antiquâ & legitimâ ſede ſemouit: diuiſâque ſingulis certâ redituum portionculâ, Canonicos ſæculares ſubſtituit. Toto hinc orbe diffuſi, toto orbe viguêre. A quo, quaſi tronco, proſiluêre rami non pauci; qui pariter in arbores excreſcentes, ramoſas altùm latúmque comas extulêre. Tandemque à Beatis Iuone, Rufo, Stephano, Northoberto, Gregorio, Iacobo Bergomenſi, Gabriele de Spoleto; denique à Laurentio Iuſtiniano Patriarcha, in Franciâ, Hiſpaniâ, Galliâ, Italiâ, Germaniâ, Angliâque fruticauêre.


De diſperſione Clericor.

Congregationes Cleric. S. Aug. variæ.



DISSERTATIO DECIMA TERTIA.

De modestiâ, zelo, constantiâ Augustini; in Deum, Ecclesiam, Hæreticos: Horum arma & furor in August. Pro scriptis eius varia Elogia: Item de iacturâ librorum mea querela.



IRTVTIBVS itaque domi forisque adeò claruit, vt Hypponenses Presbytero destituti, mediâ è Concione rapuerint inuitum; & lachrymis repugnantem ordinauerint, cùm Mitrâ & Pedo omni, præponeret modestiam & quietem. O titulum nouum pulchrumque! Adeste ambitiosi. en, hic honores oblatos altâ sapientiâ spernit & reijcit, quos per preces, fraudes, enses, vos impetratum itis

aut

aut ereptum. Sed latere diutius *sub modio* non potuit tantum iubar: quod nisi in turbida illa tempora & loca diuinitùs emissum fuisset, vix Fides, vix Religio superstes fuisset Ille pectus intrepidum furentibus hæreticis opposuit, frænáque licentiæ dedit lingua, stilo: verbo, scripto, pauidos vndique consternauit. *Certè si ex aliorum Patrûm libris, qui multi & præclari extant, facere coniecturam licet, eorum nullus, (quod bona pace dixerim) cum tot tamque varijs hæreticorum monstris decertauit.* Decertauit? immò superauit. In arenam disputationis ausos descendere Fortunatum, Pascentium, Maximum, & Felicem ingentia Hæreseos capita, ita dolauit, vt primus ille malè Fortunatus, rubore confusus patriâ cesserit & vrbe. Postremus verò, reipsâ quàm nomine felicior, victori suo porrexit herbam; & infaustis partibus cedens, militiæ Christi nomen dedit. Ita in hoc certamine vicit, qui victus fuit: perierat enim, nisi sic

Possid.

periisset.

Confluebant Hæreticuli quottidiè in conciones eius, Manichæi, Donatistæ, Circumcelliones, quocum ingenij vires conserere non auderent eorum Episcopi: vt lupum mactandum clamitabant; & omnia peccata dimitti facilè posse illi, qui tàm insigne facinus perpetrasset. Cuius rei haud inscius doctor Betlehemiticus à transmarinis amicissimè scribebat: *Catholici te conditorem antiquæ rursum Fidei venerantur, atque suspiciunt: & (quod signum maioris gloriæ est) omnes hæretici detestantur; & me pari odio prosequuntur, vt quos gladio nequeunt, voto interficiant.* Nec defuerunt qui adtentarent id sceleris: nam cùm semel foras egressus, ad concionē faciendam pergeret; in præparatam Circumcellionum rabiem, viam regiam obsidentum inciderat, nî occulto & benigno Dei concilio errasset, vbi sanguinem eius expectabant hominum perditissimi. Nihilò feruentior pergens, hostesque Ecclesiæ

Hieron.

ſiæ aſſiduè pungens: *metu mortis impauidus deſtruxit ſacrilegos, atque ſuperauit hæreticos*, vt meritiſſimo iure, *validiſſimus hæreticorum malleus* appellaretur. Hilar. Epiſ. Arel. Bern.

Quem ſemper horruêre aduerſi illi & peruerſi, ſemper honorauêre viri ſapientiſſimi. Pontificem audite literis & ſanctitate iuxta maximum: *Si delicioſo cupitis pabulo ſaginari, B. Auguſtini opera legite, & ad cõparationem ſiliginis illius, noſtrum furfurem nõ quæratis.* Et ſuo labori ſuperſedendum cenſebat Hieronimus, ne ſibi obijceretur illud Horatij: Gregorius.

--In ſiluam ne ligna feras.

Aut enim, inquiebat, *eadem diceremus ex ſuperfluo; aut ſi noua voluerimus dicere, à clariſſimo viro* (Auguſtino) *occupata ſunt meliora.* Quid mirum ſi faſces ſubmittant omnes Conſuli illi magno, qui *ſicut Sol excedit omnes planetas, ità omnes exceſſit in exponendo ſacras Scripturas?* Et, ſi rectè calculum ponas; *in elucidandis quæſtionibus, omnes doctores poſt Apo-* Remigius. Haymon Epiſc.

stolos præcellit. Doctor Doctorum est, & *literarum omnium egregius magister: quódque in vbertate rarum est, cautissimus disputator. Decurrit quippe tanquã fons purissimus, nulla fœce pollutus : sed integritate fidei perseuerans, nescit hæreticis locum dare, vnde sese possint aliqua colluctatione defendere: Totus catholicus, totus ortodoxus inuenitur, & in Ecclesia Domini suauissimo nitore resplendens superni luminis claritate radiat.* Appellatur itaque *Firmamentum Veritatis, verè Columna nubis, in quâ Thronum suum posuit Sapientia.* Magni illi tituli & veri, quibus à magnis verisque viris condecoratur. Sanè *Carolus magnus delectabatur eius libris, præcipuè ijs quos de Ciuitate Dei inscripsit.* quæ quidem volumina primis Italiæ typis prima mandata fuêre, cùm primùm Conradus natione Germanus anno 1458. artem Romam detulisset, antea incognitam. Quis Authore illo luce dignior erat, siue stili vestem, seu corpus spectes solidum? Videte vt vbique *acer in-*

Aurel. Cassiod.

Rupertus abb.

Eginhartus.

genio

Prosper. Aquit.

genio suauis eloquio, sæcularis literaturæ peritus, in quæstionibus absoluendis acutus, & in explicandis scripturis cautus inueniatur; prætereà,

Toletana synod.

copiâ profluus, eloquentiæ flore venustus, sapientiæ fructu fœcundus. Verba electa, graues sententiæ, nodi mirabiles, quibus circumducatur lector necesse est; nihil impeditum, nihil inane. Fateor, *in quibusdam libris nimia difficultate reconditur* (nec aliter potuit alta tractare quàm altè) *In alijs sic est planissimus, vt etiam paruulis probetur acceptus: cuius aperta suauia sunt; obscura verò, magnis vtilitatibus farcita pinguescunt.*

Cassiorus.

Vbique mira scriptio, mira pietas, mirus zelus, mira sapientia, mira omnia.

Paulinus.

O verè sal terræ, quo præcordia nostra, ne possint sæculi vanescere errore, condiuntur! O lucerna dignè super candelabrum Ecclesiæ posita, quæ latè Catholicis vrbibus de septiformi lino pastum oleo lætitiæ lumen effundens, densas hæreticorum caligines discutis, & lumen veritatis a cõfusione tenebrarum [illegible] *clarissimi sermonis enubilas!*

lam aquæ viuæ & venam fontis æterni meritò dixerim: quia fons vitæ aquæ salientis in vitam æternam, Christus effectus est. Rara prętantia in opere numerosiore: *Quæ tua igitur hac in re industria: Quod tuum, D. Augustine, fuerit studium, non facilè consequemur. Illud verò testari possumus, te semper aut aliquid scribentem, aut aliquid legentem fuisse ab omnibus inuentum, vbi à publicâ Concione vacaret. Tanta autem ab eodem dictata & edita sunt, tantaque in Ecclesia disputata, excepta, atque emendata, vel aduersus diuersos Hæreticos conscripta, vel ex Canonicis libris exposita ad ædificationem sanctorum Ecclesiæ filiorum: vt ea vix quisquam studiosorum nosse & perlegere sufficiat.* Miraris, lector? faxo stupeas: *De nostris apud Græcos Origenes in scripturarũ labore tam Græcos quàm Latinos, operum suorũ numero superauit: Nam & Hieronimus sex millia librorum eius se legisse fatetur. Horum tamen omnium studia Augustinus ingenio & scientiâ suâ vicit: tanta enim*

I. B. Egnatius.

Possidius


Isidorus.

scri

ſcripſit, vt diebus ac noctibus non ſolùm non ſcribere quiſquam libros eius, ſed nec legere quidem poſſit. Sunt illa ſupra Fidem, ex bonorum tamen authorum Fide. Plerique etiam ſcriptorum recentiorum tabellam in hanc partem demittunt. Lipſius ipſe noſter & noſtras, velut ex conducto, preconem agit: *Antiſtes*, inquit, *Antiſtitum Auguſtinus, noſtrorum ſcriptorum apex.* Ecce palmam alijs aufert, vt in dexteram eius transferat æquiſſimus arbiter. *I. Lipſius*

Eheu! lucubrationum iacturam! in tãtâ librorum ab eo editorum copiâ quàm inopes ſimus vix ſcimus: Quãta qualiavè habeamus nouimus quidem, quanta perierunt vtinam certò ſciamus! haberemus ſolatium; vt cùm res ipſas non poſſemus, nomina ſaltem inania iactaremus; tanquam Reges aut Dinaſtę, qui ſublato per vim regno, inſignia reſeruant in ſcutis, & poteſtates parietibus tantùm adpictas, quas re ipsâ perdidêre. Euah! quæ Parca parcere neſcia, inuida *De iacturâ librorum Aug.*

uida nimis & inuiſa, literarum præclara monimenta poſteris inuidit? Vvandalorúmne graſſationes, an hominum incuriam accuſem iuſtiùs? Neſcio. Hanc potius innocentem nõ habeo: Nam in tantum facinus Barbarorum manus non durauêre, qui illæſam Bibliothecam (ſed & corpus defuncti) permanere ſunt paſſi. Caluiniſtis noſtris hoc ipſo meliores, qui Sanctorum virorum Reliquias, & Doctorum monimenta, Martyrum corpora, flammis, aquis, canibus, exurenda, perdenda, lanianda crudeliter obiecêre.



DISSERTATIO DECIMA QVARTA.

Meæ aliquot transitiones ; Miracula ab Augustino petentibus , Responsio : Rursum encomia quædam : In illis repressus Ambrosius Lamocen. & reprehensus: Tandem de RELIQVIIS *August. In eas Ducum & Regum pietas mira: Pro ijs cautela Canonicis Ticin. data: & in easdem meus adfectus.*

TRITVM callem recalcare vt adgrediar, & per aliorum vestigia conductitijs quasi passibus incedã, non est huius instituti. Itaque volens sciensque Librorum nomina quæque præmitto, curiosumque lectorem ad Possidij *Indiculum* remitto; ne quæsito & aliunde corraso tam longo librorum Syllabo DISSERTA-

TIONES meas protendere videar. Nolo itaque residuam Historiæ partem pandere, quam tot ante me viri clarissimi. De morte sileo. Dicta cætera, factáque eius, quæ ab vno Possidio peti possunt, leuiusculè transuolo.

Cæterùm, vbi miracula in vitâ, in morte, post mortem? Mira illa nostra omnium cæcitas & oculorum caligatio, vt minuta & quæ minus adparent videamus; grandia verò non aduertamus. Lazarum miramur resurgentem; peccatorem non stupemus reuiuiscentem. Pauca hominum millia panibus aliquot satura vix credimus: Orbem, quantus est, quottidiè refici minoribus, nemo aut pauci notant. In meridie lucem quæritare mihi videntur ij, qui de Augustini miraculis inquirunt, quæ, vbi, quando, à quibus, facta, visa, audita, lecta, aut scripta? quasi verò vita ipsa tota miraculum non fuerit. Qualis conuersio? nonquid miraculum? Vox cælitùs audita *tolle lege*,

Tota Aug. vita miraculum.

non

nonquid miraculum? Qualis ardor pectoris? oris gratia? operum moles? nonquid ad miraculum stupenda? TOTVS AVGVSTINVS MIRACVLVM? Fallor! *Deus* Ambr. *pater cuncta per vnigenitum filium* Episcop. *suum creauit : & creaturas singulas ali-* Lamocé- *quo gradu perfectionis dotauit : sed B.* sis. *Augustinum ad imaginem Trinitatis creatum, adeò sublimauit, altâ scilicet intelligentiâ, latâ memoriâ, voluntate inflammatâ, vt nullus excepto filio Dei Iesu Christo ei fuerit similis inuentus.* O admirandorum admirandum! O verba fide maiora! sed, an fide digna? Non videntur : & præter excessum zeli quis admittat? Legendum itaque censebo: *Nullus, excepto filio Dei, Matre, Præcursore, Apostolis, ei fuerit similis inuentus.* In hoc quoque cæteris major, si de nouâ Lege sermocinamur. Huc citandus Gregorius, qui Martyrum, Confessorumq; variâ concomitante coronâ interrogatus ab Episcopo Tagione, quâ tandem sede lateret Augustinus, quem

vnicum deesse videbat; Respondit: *Beatum Augustinum virum excellentissimum (de quo quæris) altior nobis continet locus.* Planè planè *Augustinus homo celestis & imago Diuinitatis.*

Ante præfat. Moral. Greg. in Iob.

Possid. ep. ad Macel.

Quid ad facta recurram? Quàm mirabili digressione negotiatoré conuerterit, dicat Possidius. Manuum impositione morti languidos restitisse: Dæmones fugatos, dùm adhuc in viuis esset, ab ipsomet edisce. A sepulchro defuncti, quis sanus non discessit? Quis pheretrum frustrà attigit? Immò quis vota fudit non exauditus? Cuinam hactenùs surdæ aures fuêre? Cuinam patentes defuêre? Nouit Ioannes ille Francisco-Mantuanus, Marchio illustrissimus, qui cæso Mediolanensi Duce, victoriosissimus iterato prælio remigrauit; ipsissimo Augustini die, anno nõ eodem: quem sacrum honoratumque æternùm habere instituit; &, quasi ad Aras Martis, has laudes & VOTA adpendisse dicitur:

Lib. 22 de Ciu. c. 8.

Vos Patriæ Ciues, quibus hic Pater expulit

expulit olim
Bis Liguros: lætumque dedit bis habere Triumphum,
Dum sua curriculo bis Festa darentur eodem:
Este boni memores, & grata aduertite dona,
Et mecum huic laudes, mecum hos celebritis honores.
Protector Patriæ, tu Spes tutissima nostra,
Augustine parens, Doctor, Lux inclyta sacri
Eloquij: innumeras Ocnæas accipe laudes.
Tendimus ecce manus humiles, oculósque precantes:
Venturo aduersis vt quondam protege Princeps.

Admiranda eius pluribus nec canto. Nonquam dicendi finem materię dignitas inuenier, nisi quem ipse fecero. Vnius attamen Luithprandi Longobardorum Regis pietatem, cultum, venerationem tacere non volo non valeo. Is enim sacris Augustini

RELIQVIIS numeroso precio redemptis, Episcoporum comitante clero factus obuiam, Regem exutus, posito diademate, infulâ, sceptro; nudatis pedibus, aperto vertice, venerandâ animi submissione eas veritus & reueritus est. Et Dauidico more Genuâ* Ticinum in Hymnis & Cãticis præiuit : donec sacratis *in cœlo-aureo* constituta locis, ARCA requiesceret, immensi Gazophilacij receptaculum.

* *vulgò Papia.*

Sic facta Translatio à Barbaris. sed quò postrema Delatio ? nam hominum nemo verum corporis Hypogæum ostendat Ticini. Indubiè tamen inest: & in communi Canonicorũ Reg. Conuentúsque nostri Templo iacet & latet. Latet, inquam, & præsaga futuri Mens Diuina latere voluit. Ne quis enim fraudibus aut raptui superesset locus *ferunt Luitphrandum tribus locis effossis, structísque Sepulchris tribus, noctu iußisse alibi* (in eodem tamen Templo) *corpus condi, omnibus simul sepulchris, eâdem*

Pamphilus,

eaute occlusis, vt certâ sede ignoratâ, difficilior in eum fieret occasio perquirendi & rapiendi.

Regis intentionẽ violari præcauẽs Pontifex Max. commisso sibi cœlitùs excommunicationis vinclo sanciuit, rata fixaque vt maneret. Per nos certè: sed zelus an deuotio semel iterumque violauit, ô N.N. sæpiùs inuẽti per Templũ cuniculi subterraneo labyrinto clanculũ vagantes. Frustrà: humanis oculis sublatum latet, sed Miraculis inibi latitare patet: & patebit dum latebit: ergo æternùm lateat, vt æternùm pateat. Vos interim preces huc, munera & vota manu deuotâ circumferte, Mortales. Hîc ancora sacra, hîc Asilum: concurrite profugi. Hîc PATERNVS nobis SINVS: confluite FILIOLI. Suos agnoscet PATER. In suos ignescet PATER. Tandemque eius medio delictis nostris ignoscet TANTI PATRIS PATER.

DIS

DISSERTATIO DECIMA QVINTA

De Nostra olim dispersione penè perditione: Et quomodo: Antiquitatis indicia non pauca: Deprauata super hoc quorundam indicia: Item S. Guillelmi laudes libatæ & ab eius sanguine Hispan. Reges oriendos: & contracta cum Gallis connubia.

VOTVM meum non dissimulo. Et vt ex æui nostri nostræque Togæ scriptoribus seriò Chroni. Ord. calamun & operā aliquis admoueat calidè exopto. Pollicebatur id mihi Salamanticæ nuper V. P. Basilius de Leon; sed metuo ne *Agnus Typicus* Chronica ad tempus exederit, quem hisce mensibus in publicum edidit. Sit ita, pergis tu interim

riin, mi frater Antoni, quem dudum impensè huic penso insudare didici verâ famâ. Quidni cum laude possis, quem bonorum librorum copiâ vsum intellego? O perge ac perage: & per te aliquando plenissimè liceat,

Et vacet ANNALES *nostrorum*
audire laborum.

Voueo vt breui. Nos intereà carptim quædam libabimus, & quasi solidioris tui missus promulsidem.

Quàm verum illud Euangelistæ, *Percutiam Pastorem & dispergentur oues*: sensimus, & malo heu! nostro, nimium scimus. Cadente Sole lugent omnia; homines, oues, aues, feræ; domos, claustra, nidos, lustra petunt. Et, si quando

—— immensum cœlo venit agmen Virg. Georg. 1.
aquarum,

vel iratus mortalibus

Ipse pater mediâ nimborum in nocte,
corusca
Fulmina molitur dextrâ; - -
Terra tremit, fugêre feræ & mortalia
corda.

Per

Per gentes humilis strauit pauor.

Ita consternati misselli Augustini discipuli cadente Sole suo. Imbribus, grassationumque fulminibus Vvandalorum furentibus & ruentibus, fugêre ferarum more: lustra, lucos, & abdita siluarum exules elegêre vagi hinc inde & profugi, per Æthiopiam, Italiam, Angliam, Franciam. Illam dico Æthiopiam, quę supra Ægyptum. Tempore namque Alexandri Sexti, peregrè in Italiam delati nostro hoc habitu & nomine Religiosi: qui longo commercio Romanum sermonem adepti, conceptissimâ adfirmatione, referente Sabellico, *Magnum dicebant numerũ Augustinianorum in terra vnde profecti essent, Conuentúsque plurimos; quorum certus iniri non posset numerus in tantâ terrarũ vastitate.* Quę eò veriora videntur quò ex Lybia, vbi is pietatis cultus ortus est, faciliùs potuit in eam terram propinquitate illi agnatam, quàm in remotiores oras penetrare: præsertim cùm Vvandalorum, Alanorum

Augustiniani in Æthiopia.

norumque iniuriam ab initio declinauit. Æthiopia igitur vagientem in cunis hunc Ordinem fouit, aluit, pauit apertè. Clanculùm magis reliquæ Orbis plagæ fouerunt : fouerunt tamen. O Indices, vbi eratis? cur latere passi? Vnicâ Odilonis Abbatis gratiâ, nouimus ab Adelheidâ Sueuorum Ducis Hildebrandi filiâ, *professionis Augustianæ Cœnobium* fundatum: in cuius templo maritum filiosque sepeliret. Heroinæ huius mater, Hildegardis nomine, Carolo Magno desponsata fuerat. Vnde, constructionis huius Cœnobij annum colligo plus minus 816. Tersis hæc oculis legite, lipposi, qui hactenus Innocentio III. inuentum legistis Ordinem. In ventum illa abeant parerga. certum mihi quod doctis omnibus, dormitasse quidem in Europâ, nonquã emortuum hunc Ordinẽ: & scriptorib. sanè tacentib. vnicum Prouinciæ nostræ Belgicæ Coloniẽse Monasteriũ clamat, anno ∞ C L V. erectum: cùm summus ille

Item in Germaniâ.

Pontifex, anno demùm ∞CXCVIII. memoretur. Nec dubium de alijs: in Hispaniâ, Burgis, Salamanticæ; in Franciâ, Narbonæ: quorum illa, ∞CXLVIV. & ∞CCII. hoc verò ∞CCXX. fundata annis accepimus, quæ antea hominũ extra frequentiã delituerãt. Italiam taceo, quę Conuentus habuit & aluit frequentiores, quàm vt paucis horis enumerari possint. Vnicum Londinum pro Angliâ loquetur & suum totius Ord. celeberrimum iactabit cœnobium anno Domini ∞LIX. superbè erectum.

In Hispaniâ.

In Franciâ.

In Angliâ.

Ab equo veluti Troyano hinc inde prorupêre viri maximi, Columbanus, Ioannes Bonus, Guillelmus; Sancti omnes. O viros eximios! Illi humeros supposuêre viribus herculeis defesso Atlanti nostro: globumque & axem

—*stellis ardentibus aptum*,

penè labantem erexêre. Tu imprimis corpore, animo, prosapiâ, virtute clarissime, Dux maxime Guillielme: qui

qui neglectis armis, scutis, regijsque titulis & emblematibus, cum Psalte Hebræo elegisti *magis abiectus esse in domo Dei, quàm habitare in Tabernaculis peccatorum.* Magno Ludouico hęseras, satius adhærere Deo: Mundo bellaras, Mundum debellasse multò validiùs: Psal. 83.

Fortior est qui se, quàm qui fortissima vincit

Mœnia; nec Virtus altior esse potest.

Itaq; nouâ militādi normulâ gloriā tantā adeptus, vt sui victoriosissimus euaderet: nouoq; exēpli semine, tot tantosque Christo natos, Augustino patrocinante, genuit; vt Guillelmitæ passim Eremicolæ omnes nominarentur, re licet ipsâ Augustiniani. Hæresis illa (sed nocens minimè) quorumdam occupat adhuc cerebella. Et hac nostrâ ferè habitus formâ Conuentuales comperiuntur; sed Conuentus per Orbem rari, & vix quot Thebanis portæ.

Felicior multò multoque nobilior sanguinis carnisque propago iam an-

te Religionis ingressum fusa. Illo namque defuncto , ita per nepotes prosapia nobilis diffusa, vt sese etiam Guillelmi sanguine satos clament iactentque Hispaniarum, Indiarumque Reges & Monarchæ. an & Franciæ ? si adseruero non fallar , nî me fallant Historiæ temporum fideles: & quam Vallisoleti Castiliæ excerptam legi Tabulam publicis oculis in triuio, quasi iactabundè expositam: adeò se sanguine Gallico iactat Hispania. Ne quem sensu fraudem, latinè reddo : & stemma nobile in suos ramulos & flexus.

GVIL

GVILLELMVS
DVX AQVITANIÆ,
COMES PICTAVIÆ

ALTER

NEMBROT,

CORPORE GYGAS.

HELIOGABALVS,

MORIBVS SCELESTVS.

SAVLVS,

SCHISMI FAVTOR.

8. pedibus altus.

Tyrannus & fratria concubinus. Tempore Innocentij 4.

POSTMODVM.

ALTER

CHRISTOPHOROS,

CORPORE GYGAS.

te Religionis ingressum fusa. Illo namque defuncto, ita per nepotes prosapia nobilis diffusa, vt sese etiam Guillelmi sanguine satos clament iactentque Hispaniarum, Indiarumque Reges & Monarchæ. an & Franciæ? si adseruero non fallar, nî me fallant Historiæ temporum fideles: & quam Vallisoleti Castiliæ excerptam legi tabulam publicis oculis in triuio, quasi iactabundè expositam: adeò se sanguine Gallico iactat Hispania. Ne quem sensu fraudem, latinè reddo: & stemma nobile in suos ramulos & flexus.

GVILLELMVS
DVX AQVITANIÆ,
COMES PICTAVIÆ

ALTER

NEMBROT,

CORPORE GYGAS. *8. pedibus altus.*

HELIOGABALVS,

MORIBVS SCELESTVS. *Tyrannus & fratriæ concubinus.*

SAVLVS,

SCHISMI FAVTOR. *Tempore Innocentij 4.*

POSTMODVM.

ALTER

CHRISTOPHOROS,

CORPORE GYGAS.

HELIAS,
MORIBVS COELESTIS.

PAVLVS,
DEI CVLTOR.

Honoribus, Titulis, Stemmatibus cedens; AVGVSTINIANVS in Eremum secedens: functâ viuis vxore, iuri patrio succedentem Filiam reliquit LEONORAM: Quæ primis quidem nuptiis LVDOVICO VII. Franciæ Regi iuncta, marito superuixit iustisq; iterum Thalamis,

IVNCTI
LEONORA, *Guillelmi filia,*
HENRICVS, *Angliæ rex.*

LEONORA, *Leonoræ filia,*
ALONSVS, *Rex Castiliæ.*

BLANCA,
LVDOVICVS, *Rex Franciæ.*

S.

S. LVDOVICVS,
MARGARETA *Aragoniæ.*

BLANCA,
EMANVEL *Rex Castiliæ.*

FERDINANDVS,
IOANNA.

BLANCA,
EMANVEL.

IOANNA,
HENRICVS.

IOANNES, *primus Rex Castiliæ & Legionensis,*
ISABELLA.

ISABELLA,
FERDINANDVS *Rex Aragoniæ, & Siciliæ.*

IOANNA,
PHILIPPVS *Archidux Aust. Dux Brabant. Comes Flandriæ.*

CAROLVS QVINTVS, *Rex Castil. &c. Imperator Rom.*

ISABELLA.

PHILIPPVS II. *Rex noui orbis,*

ISABELLA, *Franciæ Infanta peperit Claram Eugeniam & Catharinam.*

Ex quartis nuptiis. PHILIPPVS II.

ANNA AVSTRIACA.

PHILIPPVS III.

MARGARETA AVSTRIACA.

ANNA AVSTRIACA,

LVDOVICVS BORBONIVS.

PHILIPPVS AVSTRIACVS,

ELIZABETA BORBONIA.

A Trunco nobili, Rami ter nobiles! Franciaci cœli SOL, Hiſpanici Firmamenti LVNA, vnà concurrêre.

Rur-


Rursumque Hispanici cœli S o l, Franciaci firmamenti L v n a, vnà concurrêre. mirum, quî non deliquium patiatur O r b i s. At, vtraque Phebe illa, bellula, pulchellula, proprio lumine micans, fraternos vultus tantùm spectat, non expectat. Vterque Phœbus ille, bellulus, pulchellulus, natiuo decore fulgens, sororiam facem faciemq; videre tantùm vrget, non eget.

Quàm pulchrè alterno fœdere ludit Amor!

O paria egregia & Regia, videnda orbi & inuidēda! ad quorum decora quis Cœlitûm, quis Heroum opus & opes non cōtulêre? Quis Apollo mutuit? quæ Minerua tacuit? quæ simulacra Mauors exutâ harpe, & inermi phalāge, non exciјt? Hisp. Frāciæ, Italiæ, Germaniæ, Belgiæ, Europæ Genij sua ingenia in hoc exacuêre, excercuêre: nobilissimos orbis Thalamos votiuis Thalassionibus condecorantes. O in rem erumpant hæc vota! erumpant ea præsertim quæ sagaci


mentis acumine Patritius Lugdunēsis, vnus è nobilibus cameræ primi Principis, primiq́ue Paris Galliæ iubilans expressit nuper! Laudem? cum multis fecero. publicè? cum magnis: verè? cum doctis. A viris magnis doctisq́ue laudari, punctum omne, & supremus Theatri plausus. Hoc habes, RENATE. Intellegis quid loquar? vt audaculus ego sim, seriò vide: quas ab Illustrissimo iuxta ac Reuerendissimo Cardinali de BONSI accepisti tabellas, vulgare gestit animus: vetat forsitan tua in omnibus nota modestia; & maritato labellis digito, silentium indicat indicitq́ue: volens lubensq́ue pareo: & ad meos redeo.

Iam proli gratare tuæ GVILLELME, duplici titulo Pater maxime, Nobilitatis, Pietatis. Nam & hoc Augustini Nemus si non plantasti, irrigasti saltem: &, ex parte, formasti quale se fatetur & esse gaudet.



DISSERTATIO DECIMA SEXTA.

De Ordinis incremento: Quibus medijs: Alexandro IIII. Augustinus in somnis apparet: & qualis: Varij Ordines sub Aug. vexillo militantes: E sinu nostro prodijsse S. Dominicum, S. Franciscum: Hunc, Eremitam August. fuisse: Item in eius Institutum, laudes quasi ex conducto.



FFICIOSA tanti Herois pietate excitatiores paulò euasimus: & antea disgregati, adgregari hinc inde cœpimus, vniri nondum. Amplissimi gloria facinoris vni Innocentio, Honorio, Gregorio & Alexandro Pontificibus reseruata. Quorum medio, in vnum coa-

cti, vrbes incolere, conciones habere, Ecclesiastica munia exercere iussi: & qui antea solis sibi, in publicum prodesse admissi. Nempe Alexander ille quartus, Aurelij Phantasma in somnis notarat, vmbram luridam, macilentam, cadauerosam, Gyganteo capite grandem, pygmeatis membris exilem, vixque ossibus hærentem.

Hei mihi! qualis erat! quantùm mutatus ab illo!

Exinde, cœpit membra illa languida, exsucca, effœta, vieta, fouere; vt secluso penitus languore ad sanitatem reuocaret. Pristinus color rediit succi plenus, formâ vigens, valensque capite condigna suo. Nam & seipso maior, aliis communicare cœpit sua munera, dotes, normulas, vitæque exempla: cùm certatim omnis ordinis homines Augustini Augustinianorumque *Regulam* ambirent. Trinitarijs, Dominicanis, Ambrosianis, Cruciferis, Seruitis, Brigidanis, Paulinis, Antonianis, Hieronimi

30. *Ord. sub Regula Aug. viuentes.*

ronimitis, Iesuatis placuit Augustini norma quam assumpsêre, quam seruāt. Quid attinet cæteros recēsere? Equites, nobilissimus Ordo, S. Ioannis, Lazari, Iacobi, Theutonicorum, Iesu Christi, sub eiusdem *Regulæ* vexillo militant; & in hoc symbolo dignoscuntur. Est quo sese iactet atque adtollat Augustiniana familia; è cuius sinu prorupêre tot tantique Ordines, Dominicanorum præsertim & Franciscanorum, qui veluti Ganges Nilúsve, totam inundant complectunturque Terram, à primo illo Paradisi nostri Fonte scaturientes.

Ità dixi, Frācifcanorum, quorum Parens Assisius, emissâ, datâque professionis Fide, à S. Ioanne Bono in Augustinianorum numero adscriptus est: prout ex eius (quod adhuc Assisij seruatur) chirographo indubiè patere potest. Et de eo quidem non tacet Pamphilus in Chronicis, qui Ioannem præfatū laudans: *Multi viri*, inquit, *ob eius sanctitatem Religionis*

S. Franciscus primò Augustinianus.

gionis (Augustinianæ) *disciplinam ab eo susceperunt: & præsertim Seraphicus Franciscus, Ordinis Minorum posteà institutor; Vincentio Belluacensi, Petrarcâ, & Sabellico historicis referentibus.*

Ex officijs ff. Minor. & Capucinorum.

Ad eremiticam ergo vitam illectus est, *Cùm vnâ dierum, dum sequestratus oraret, apparuit illi Christus Iesus veluti cruci confixus: eidem tàm efficaciter ingerens Euãgelij illud: Abneget semetipsum & sequatur me, &c.* Nostrisque moribus vixit; consimili veste, tunicâ, cucullo, calceamentis, bacillo, & corrigiâ vsus est. Desiit autem, *cùm vnâ dierum inter Missarum solemnia legeretur Euangelium illud, in quo discipulis ad prædicandum missis Euangelica norma in viuendo præscribitur. Ne videlicet poßiderent aurum, vel argentum, nec in zonis pecuniam, nec peram deferrent in viâ, nec duas haberent tunicas, nec calceamenta, nec virgam. Illicò calceamenta deposuit, reiecit baculum, peram & pecuniam abdicauit, vnâq; contentus*

Ibidem.

tunicâ,

tunicâ, demissâ corrigiâ (quæ omnia Augustinianæ professionis erant) *pro cingulo funem sumpsit.* O hominem pauperé! immò ipsummet paupertatis typum. Senecæ illud: *Hominis naturam Stoicos vincere, Cynicos excedere*, huc traxero. Vide mihi veros eius alumnos, externa calcant omnia: & omnem non modò mollitiem, sed & rigorem Cynicorum excedunt. In sensum meum concurrit Lipsius, ad Stoicam Philosophiam lectorem suum manu ducens: *Cappucinos*, ait, *istos quos dicimus, verè virtutis, patientiæ, inopiæ & (quod antiquis defuit) pietatis exemplar, quis sine animi aliquo motu & impulsu videt? quis non vel visos conferre ad eadē illa putat? ego censeo: & tales omninò Cynicos fuisse: excipio pietatē, vt dixi, & verecundiam: quarum illam æuum illorum abnuit, hanc institutum. Carpere enim & corrigere volebant: atque ore & animo ad eam rem opus.* Ecce in Senecâ exemplum Demetrij quàm honorificum! *Demetrius Cynicus, vir meo*

De Breuit. vitæ cap. 14.

Dissert. 12.

meo iudicio magnus, etiam si maximis comparetur: Et meo, Hercules, Franciscus, ex iis quæ de ipso sparsim lego, & nihil attamen de illo magnum quod huic non conueniat, inuenio. Da aures, Lector, huic Ordini laudē ex antiquorum collatu accommodanti. En, tanquam nouum Diogenem nouus ego Epictetus, magnum illum & Christianum Cynicum loquētem induco: *Vt sciatis, ô mortales; vos felicitatem & tranquillitatem, vbi non est, quærere: ecce, ego exemplum à Deo vobis sum missus. Non rem habeo, agros, domum, non vxorem, liberos, familiam, imò nec stragulum aut tunicam, aut aliud vasum. Videtis tamen quàm sanus sim? facite mei periculum. Nihil habeo, nihil egeo, ne cupio quidem.* O animam cœlo dignam! *Nihil,* inquit, egeo: immò omnibus, si rem spectas; si animum, nihil. Cùm Bruxella Brabantiæ me haberet ab annis aliquot, fortè in Conuentum nostrum diuertêre homines quidam natione Hollandi, & nouatricis Religio

Epict. li. 3.


ligionis cultores; re ipsâ non ineruditi: cumque me, caſu neſcio quo, deambulantem & claſſis moleſtiam digerentem in areâ deprehendiſſent; datâ acceptâque ſalute, in ſcholas primò noſtras (nam & ibi & alibi publicas habemus,) in clauſtra, in hortos petiuêre admitti. Factum eſt. Et quoniam inter loquendum de Capucinis mentio deuoluta in colloquium; rogauerunt vt ſibi ad ædes eorum aditum, quantum potis, darem: perlubens innui. Iuimus, iniuimus, domum totam bonâ ſanctorum virorum veniâ luſtrauimus. nihil latuit. Et ille quidem, culinam tam frigidam mirabatur: hic, rigidum lecti ſtramen: alius nuditatem: Et omnes oculis hiantibus tantam tamque incredibilem omnium rerum indigentiam ſtupebant. Tandemque præ reliquis vnus, *Quid eſt hoc?* clamauit, *aut Deus profectò horum hominum illuſor eſt: aut nos certè funditùs occidimus.* Subiunxi ego: nec irridet Deus, nec irridetur: ſed, ſi ne-

ſcitis,

ſcitis, via ad ſuperos ſpinis ſtrata. Non fit ſine puluere Palma. *Ecce, qui mollibus veſtiuntur in domibus Regum ſunt*: Nos verò


Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum
Tendimus in COELVM; *ſedes vbi fata quietas*
Oſtendunt.

Dixi, & cum ſtupentibus diſceſſi; domum ego, illi ad hoſpitium.



DISSERTATIO DECIMA SEPTIMA.

Collectanea mea pro ſupplemento Chronicorum ab anno 1582. cùm deſiit Pamphilus: In his facta quædam memoranda, & ante me non memorata.



CEDO manum, Lector, & talaria pedibus indue quî ſequaris. Francia, Flandria, Hiſpania, India, Italia, plantâ volucri nobis

nobis peruadenda: semel iterumque eundum, redeundum quoquò nos feret impetus. Securus interim & securuleius esto: dum oculos non iniucundâ nouitate pasces, pedibus itineris molestiam leuabis & tolles.

Sede interim paulùm: & in tuâ ipsâ sede virtutis certamen cōsidera, primis, quos dixi, annis, cœpta. Cùm enim antea, bellorum nescio an temporum iniuriâ, teperet zelus; excitati diuinitùs viri Religiosi, qui supernæ particulas auræ penè sopitas excitarent. Primus ligna supposuit huic foco F. Rabachius: quem adeò in hoc facto non laudo, quòd meas laudationculas adspernatur vir humilis. CONGREGATIONVM hactenus Authores quotquot fuêre, eas à se vel à locis denominari voluerunt: simpliciùs ille, COMMVNITATIS dixit. O facite: & vestro tādem auxilio, exilio suo redeat Astræa: nobisque, moribus antiquis, adrideat!

In Franciâ, Patres communitatis.

In

Ibidem. *Patres discalceati.* In Franciâ item, ab annis ſexdecim circiter, alij multò longiùs abierunt à communi cœtu & ſenſu. Nam & antehac inuiſam meditati nouitatem, *Capucinorum* (quos appellant) habitum ſumpsêre, nigro colore tinctum: ſeruatâ dumtaxat prioris inſtituti Zonâ. Ex Hiſpaniâ & Italiâ aduectus huc Ordo & habitus, nec vniformis. Nam Hiſpani quidē, Cucullū capite conformem reſeruarunt; in hac verò Galliâ, oblongo & aculeato gaudent; ſtrictis Manicis omnes. Centonibus inſuper poſteriori parte Togæ adſutis, primò inceſsêre; ſed immutarunt propediem: quin Soleas etiam Baxeis, qui inter eos primi. Vt creſcant, in votis habeo: ſed caſum per Franciam metuo potiùs, adeò labefactati pronuper. Solos ſe tamen *Augustinianos* paſſim iactant, quia *Diſcalceatos*: ineptè. Repoſui ego illis *Diſſertatione octauâ* ſecundi huiuſce libri: è quibus cùm R. P. F. Hametto Romam hiſce menſibus pergenti,

diſcu

discutienda quædam protulissem; modestè sanè, nec ausus est subire ipsam sarcinam; nouerat enim se ista non nosse; nec erubuit fateri. Et, si de eorum cœtu aptè quisquam respondeat, Discalceatus fio. Spero fore ad Kal. Græcas. interim Franciâ migremus.

Aduocat me Belgium, & in eo Scholæ Humaniores Bruxellis, Antuerpiæ, Gandaui, Louanij nobis publicæ: quarum prima, ab annis fortè duodecim erecta; reliquæ sequentibus subsecutæ. Validos Antagonistas habent: præliantur tamen, & ancipiti Fortunæ euentu, Apollineum puluerem vtrimq; colligunt, cedere nescij. *In Flandriâ Schola publica*

Tum benè præcipitat reserato carcere Currus:
Cùm quos prætereat, quósque sequatur, habet.

Habenas tu moderaris indefessus Automedon, Frater mi MELCHIOR DAELHEMI,

—MEL QVI ORE *& nectaris imbrem,*
Effundis: Et

& adiuncto F. Baxio, vires colligitis ad eundem curriculum. O mei apud vos, Catullius, Suueertius! Quàm amica oscula iungam si rediero! Iam non vacat; valete, ecce rursus Hispania reuocat.

S. Nicolaus T. Cordubà pestilentiâ liberat.

Cordubam pestis inuaserat anno 1601. immitis adeò & serpens, vt nec Medicorum succi aut herbæ furentis Furiæ impetum frangere vel coercere valerent.

Ouid.

— pugnatum est arte medendi
Exitium superabat opes, victæq; iacebant.
Adspiceres flentes alios, terráque iacentes
Hic, illic, vbi mors deprenderat exhalantes.

Vrbem magnam campum dixisses, vbi corui tantùm, qui edant, aut cadauera quæ edantur. Ab humanis igitur ad vota superùm cõuersi, præsentem numinis opem sensêre languentes. Quosque Æsculapius neglexerat, tutelari curæ suæ adsumpsit vir SANCTVS NICOLAVS TO-

LEN

LENTINVS. Fauorem multis magniſque comprobatum miraculis, ſensêre non modò Ciues, ſed & exteri. Vnicum iungo, id eſt, primum quo innotuit. Anni præfati menſe Septembri, puerulus quidam ſub inguem dexterum vitiatus peſte, moribūdus à matre plorabatur. Iam in oui vmbonem malum creuerat; iam nigrorem induerat, iamq́ue in lapidem induruerat. Maternis oculis nil niſi mors obuiabat. Et, quod fit, dum lachrymas morienti miſcet, oſculiſq́; extremum Vale dicit: aderant caſu commotæ è viciniâ aliquot mulieres, & vota ploranti commendabant, & adamato filiolo preces. Feruore igitur plena mater, & S. Nicolao deuotiſſima dudùm, non niſi audito Miſſæ ſacrificio ad huius honorem fuſo, ſumpturam cibum ſe promittit. Lectulo interim compoſitus puer dormire altùm cœpit, qui antea gemitibus ſoluebatur. Admirata mater accedit: & curioſâ manu veſtem dormienti ſubtrahens (ô ſtupen

pendum !) nec vlcus , nec vlceris quidem vestigium videt. Primâ itaque luce , voto factura satis, puerum comitem trahens, rem totam templi nostri Sacristæ ordine aperit. Finito autem Sacro , circumadstantibus plerisque rei nouitatem stupentibus, dum interrogatur triennis ille Infans quis sanasset? cœpit extenso in altum digitulo S. N. T. effigiem monstrare ; *& hic*, inquiens, *me sanauit , Mater.* Cùm illa interim quàm sanctè ad Aras iuraret : nec se , nec mortalium quemquam Imaginem Sancti commonstrasse. Re cautiùs examinatâ , acciuit omnium ordinum homines R. Ferdinandus Mohedano Cathed. & Episc. Prouis. generalis, notariq; inter Annales iussit nō modò à me citatū, sed & alia plus mille quæ subsecuta. Omnium in ore Nicolaus. Conciones , supplicationes, orationes , poemata in laudes eius fusa, publicè omnia. Pluria quidem modò referrem, sed iter ad Persas & Indos non possum differre.

Et

Et tu videndus mihi & salutandus P. Reuerēdissime ALEXI MENESI: qui rarum decus adeptus, toto orbe SANCTVS legeris, & MIRACVLIS CLARISSIMVS. Librorum te doctorum scripta loquuntur Indiarum Primatem, & à summo Pontifice primum substitutè Pontificem, Thomistarum Malleum, Fidei Zelotem: qui non modò nostris viam ad messem Domini adaperuisti; sed & Societ. Iesu Patribus: qui sicubi Patres, tuo sanè medio inibi sunt effecti. Vanus ferar, nî ipsissimum testem ab eadem Societ. Ioannem Hayum producam: qui postquam *in lib. de Rebus Iaponis* præclarissima diuini viri facinora egregiè & verè descripsit, Thomistas conuersos, suæ familiæ Patres illuc ab eo admissos; pergit postremò: *Quæ res quanto Regiæ Maiestati emolumento sit futura, norunt qui non ignorant quanti sit momenti, gentem in totâ Indiâ lectissimam, à temporibus B. Thomæ Christiano cultui deditam, támque* *De Alexio Menesio.*

numeroſam & potentem, vt armatos ad triginta millia in promptu habeat, cum Luſitanis vnire, & ad Eccleſiæ Romanæ obedientiam reuocare, & in fidem ditionémque Regis Catholici accipere. Magno enim fuit adiumento animarum, zelus & vitæ exemplum, quo optimus ille PRÆLATVS ALEXIVS
Nota. MENESIVS *nouem menſium ſpatio plus (vt noſtri affirmant) in animarum ſalute promouenda ſolus profecit, quàm quotquot à B. Thoma ad hæc vſque tempora illam ſedem tenuerunt.* Feliciter adeò Thomiſtarum luem eluit, vt non exclamare tecum nequeam, Carole Dongelberge, qui publicè nuper ſcholis in mediis canebas: EN AXE EMISSVS LVI. O magnum tuum honorem, Vir magne! tamen ceſſiſti : & ante annos duos, quiete ſecurâ, inter tuos tibi viuis, qui hactenus alijs totus. O diu nobis talem reſerua Phœbum, Portugallia! Dum habes, Cœlum es.

Talis tu quoque, Salamanca; quæ inter

inter tot Beatos, SANCTVM IOANNEM DE FACVNDO præ reliquis iactas. O ore facundo virum laudatum cantare liceat! ſed quid niſi adfectum meum monſtratim? Præoccupauêre multi & magni viri, Famâ vndique poſthumâ perſtrepente. In Templi penetralibus Sacellum eius recens eſt: lampadibus argenteis duodecim formâ, moleque ingentibus. Superiùs ARCA Corporis receptaculum. Ibi, quod claudi potuit, latet: cætera recepta Cœlo. *De S. Ioanne Facundo.*

Italia me nunc habet: & in eâ Frater N.N. qui miraculorum excellentiâ coruſcus quotquot antehac fuêre (audenter dicam) ſanctos, aut ſuperat, aut ęquat. Eſt mihi horrori ac ſtupori homo ille. Nec tamen in laudes eius planè incũbo, totus licet inclinet. Nomen taceo, locum, & facta. Cœlo receptus, canetur certiùs. Nam

——ſcilicet vltima ſemper
Expectanda dies homini eſt: dicique Beatus *Ouid.*

Ante obitum nemo, supremáque funera debet.

Ita Apotheosi B. Thomæ de Villanoua Archiepiscopi quōdā Valētiæ studetur primùm, cùm ab annis iam 50. vitam obierit. Miraculis clarum corpus solo eruêre, & ARCA ferreâ sublimi loco reconditum erexêre. Claustris quinque munitur: quarum primam Archiepiscopus, Deputati alteram; tres reliquas Canonicorū Collegium, Equites, & Conuentus nostri Prior habent.

Hinc migro, Lector, sed reuersurus. Respirandum mihi Salamanticæ: & aliquâ sessione colligendus animus. Tu, si præeuntem sequeris, inaudita audies.


DISSER





DISSERTATIO DECIMA OCTAVA.

ADMIRANDA *pluscula recentiora, à me primùm recensita: hactenùs scriptoribus tacita & incognita.*



SALAMANTICAM ante annos aliquot adpuleram studij caussâ. Vix benê collectum in viâ puluerē excusseram, cœpi Templum, Domumq́ue totam perlustrare. Et, quia Fama multa præclara hominum rerumq́ue monimenta istic videnda pollicita dudum in Belgio fuerat, loca quæque oculis discutiebam. Iam in interiora Domus Claustra veneram: & ecce ad parietem signatus lapis, hâc inscriptione subobscurâ:

Prima admiranda.

ABSCONDITVS THESAVRVS AVGVSTINIANI F. QVI ANIMO, DVM VIXIT, PVRVS, ET CORPORE MELIORE SVI PARTE VIVIT COELO.

H. S. E.

HVIVS CORPVS, VORAX TELLVS (ABSTINET AB INCORRVPTO CORRVPTIO) INTRA VIGINTI ANNOS, IAM TERTIO EXHVMATVM, INTEGRVM, CVM VESTIMENTIS, CANDIDVM, NEC GRAVE OLENS REDDIDIT. OLENT SVAVE CANDIDA VIRGINITATIS LILIA. DVM TELLVS EXTERGITVR, EX OCVLIS AQVA PLVIT: SANGVIS E FEMORE ERVMPIT: DIVINO IGNE ANIMÆ VICARIVM AGENTE, NONDVM

DVM CONCRETA. TOTVM MEDICI SVPRA NATVRAM AGNOSCVNT. CONCVRRITVR: SVBMOVETVR A TVRBA. E SACELLO S. LAVRENTII, HVC TRANSLATVM LATET: DONEC DEVS SERVVM SVVM LATERE VELIT. INDICEM ILLVSTREM.

A. S. P.

ANNO CIↃ ↃCV.

Subſtiti: & cùm inuoluta mihi ſcriptio tota certi nihil dictaret; diſtuli rogandum ſcientes & oculatos teſtes, ſi qui eſſent.

Pergo interim: ſed en loci contagio noui quiddam ſuggerit. Notaui namque mihi ad dextram angulare Sacellum; & ad parietem defuncti viri Religioſi Effigiem, quam varia Poëmata vernacula ornabāt; latinū vnicū, quod propono, nec ſenſu nec

verbis planè inelegans:

Clauditur exiguo Franciscus marmore, cuius
Nomen, ab exequijs, maius in ora venit.
Iustitiæ cultor, iudex sibi, crimine purus,
Expleuit spacio Tempora multa breui.
Longa fames, somnusq́; breuis, repetitáque sæua
Verbera, cum lachrymis, assiduave preces;
Candida virgineis spoliarunt carnibus ossa.
Quàm magnus paruo contegitur tumulo!
Visus, dum vixit, celebrans assurgere terrâ.
Quid mirum? Cœlum cœlica cuncta petunt.

Infra paulò, ad Altaris suppedaneum saxo incisum,

HIC IACET F. FRANCISCVS A CASTRO.

Inter cæteros eius temporis & loci

ci viros nominatissimus vnus, & commendatissimus iam indè in Belgio Pater AVGVSTINVS ANTOLINES; vir, sine fastu dicã, optimus doctissimusque Hispanorum: quemque ob preclarè facta, despectósque fortiter honores, REVERENDISSIMI Titulo insigniuit Hispania. Fuit ille qui me aduẽtantẽ paterno sinu excepit, fouit, seque, suáque, si opus foret, deuouit: Nil vnquam vidi grauius, nil tamen humilius: Non eius absterret seueritas, non item corrũpit facilitas. Quidam dum se magistros Cathedrarum profitentur, putant sibi ius esse in homines vitæ & necis: vt nonquam supercilium, nonquam pedagogi cultum & verba tetrica deponant. Hic autem sic affabilis, sic bonus omnibus, vt minimis optimus. Itaque ad illum mihi sæpè itio, nec facilè reditio nisi cum fructu aliquo, ac velut doctrinæ spico, quod colligebam ex fœcundo illo agro. Et quia sciebam quanti me faceret, liberè quid Titulus ille &

Professor Primarius, & quatò Prouincialis.

ſcriptio vellet quæſiui. At ille quàm familiariter; ne ſis neſcius, reſpōdit, rem magnam & ſeculis noſtris inauditam ab oculato teſte audies. cumque adſidere me ſibi iuſſiſſet, ſic orſus eſt: Anno cıɔ ɔcv. confratrûm noſtrorum vnus obierat. Cui dum adaperto Hypogæo ad ſacellum S. Laurentij ſepulturæ locum quærunt, fortè notant Religioſi neſcio cuius corpus, ante annos viginti ſemel iterumque viſum. Tãtam integritatem tot annorum lapſu corruptioni, vt adparebat, repugnaſſe demirantur: vocor ego, quia eo tempore Caſtellanę huiuſce Prouincię moderamen gerens, & meo iuſſu eductum in lucem producitur. Religioſus autem erat ætat. circiter annos triginta natus, veſte adparatâ, carne ſanâ, vultu hilaro, integer totus. Et quia in faciem concreta terra deciderat: dum extergitur, oculos lachrymis perfuſos videmus, apertos, quaſique adſtantium coronam adſpicere geſtientes. In vultu nihil toruum, nihil moro

morosum, nihil mortuum. Frons serena, crinis haud incomptus, labia non immodicè, quod solet, diducta mutuum basiabant. Mirabar ego totius corporis filum. Et ne pars aliqua oculos nostros effugeret, scissurus togæ interiora manus admoui: sed imbecillitati meæ primò repugnabat integritas: secūdis tamen conatibus cessit; effractumque viribus indusium nudatum pectus aperuit. Quin latus alterum vulnere reclusum adparuit: nam & apostemate defunctus olim videbatur, quod dum curare procurant chirurgi, nouaculâ sciderant. Hianti lateri insertæ multorum manus, meæ ipsæ, ilia, partesque nobiliores integras sensêre: indeque reductæ & naribus admotæ, fragrantiæ nescio quid contraxisse videbantur. Aderant ad spectaculum per me acciti Medici Doctores *D. Godinez* necnon *D. Gilles* Cathedratici Salamanticæ nominatissimi, & dum loquor, viuētes. Hi defuncti femur acu pupugêre, & in-

de viuax erupit sanguis. Hinc intellegis Ecphema sepulchralis inscriptionis, à R. P. *Basilio de Leon* compositum, & iubente me illic loci positum.

Hodie docet Salamantica Cathedrâ S. Thomæ.

Finierat senior. cumque ego cœpissem rursus de altero rogitare, perrexit: Magnũ tibi Pietatis exemplar proponi poscis; sed & Patientiæ, Abstinentiæ, virtutumque omnium speculum. Nam & alternis diebus, Lunæ scilicet, Mercurij, Sabbathi; sibi ieiunia indicebat, aquâ, pane contentus. Dirissimâ insuper verberum disciplinantium conspiratione misellì corpusculi macilentiam vexabat. grata Deo hostia. Et dierum vnâ Missæ solemnia peragens, non pedibus, sed altiùs solò consistere visus; & aëre librari quasi in cœlum iam iam rapiẽdus, si animi impetum corpus sequeretur. Correptus tandẽ febribus decubuit. lãguido adfui, postremus ego illi à confessionibus & S S. Sacramẽtis fui: ac post aliquot dieculas obiit, & ad

F. Francisci à Castro vita.

Deum

Deum abiit. Mira hîc alia. Dum mortuo ſupremum adparant officium Fratres,

—corpúſque lauant frigentis & vngunt,

terga aduertunt plagis ſæuiſſimis crudeliter exulcerata. Et quia grauioris morbi morâ cum ſolitis verberum cruciatibus inducias fecerat: nudatæ altiùs carni pellicula, quaſi glacies, perſpicua & diaphanea ſupercreuerat. Vocatus pictor Parrada nomine, qui Defuncti vultus in tabellam arte referret, venit, cœpit. Hæſit autem circa oris lineamenta, cùm illud indecorè hians apertumq; foret. Suadent qui aderant, ego inter eos, ingratã oris diductioné cautè emendandam, eiuſq; potiùs compoſitã venuſtaté arte ementiendam. Facturus ſatis Pictor, cõuersâ in cõſulentes facie, penicillum colori immergebat; cùm manum in tabulam reducens oculos in Ideam coniicit, ô ſtupendũ! iam inter ſe labia venuſtè maritata videt; obſtupet, & reliqui;

Adhuc viuit & huic facto mihi ſubſcripſit.

qui, nam quæ caussa dari aut effingi posset, doctissimis qui aderant viris non succurrebat. Nec dubiò, Fides hîc labare aut laborare poterat, nisi nos oculos nostros damnare maluissemus.

Dum in hoc pronunciationis æstu procedit vir magnus: duo de viâ, vt adparebat, Religiosi musæũ ingressi ad colloquium. Qui cùm de nostro sermonum cõtextu audiuissent; cœpêre & illi propè suis temporibus testatissima Dei admiranda narrare, quæ Valentiæ acciderant. Et alter quidem P. Camisan nomine, cùm itineris sui caussam exposuisset, Sancti Thomæ de Villanueua Archiepiscopi olim Valentiæ Canonisationem: deuolutus ad alios sermonis contextus. Ac præ cæteris grandi adfectu contemporaneum, & oculis sibi notissimum memorabat F. MELCHIOREM DE ARACIL: Virum in quo non eruditio solùm varia, sed & sanctitas & pietas fide maiores. Latinis, Græcis, Hebraicisque litteris

Admiranda alia.

teris apprimè eruditus; Theologus insuper haud ignotæ notæ publicè docuerat ante Sacræ nostræ Religionis accessum: ad quam ætate iam maturior venerat. Secularibus etiã negotiolis præpeditus, grandia pietatis & in Deum charitatis specimina palam ostentarat. Nam cùm fortè in Triclinio prostratus orationi incumberet, secluso, vt putabat, procul arbitro: Rusticus è viciniâ in famulitium eius adsuetus, fortè interueniens notauit per malè fidas ostij rimulas insolitum sibi lumen adfulgere. Timidissimo itaq; murmure cautiùs accedens, scissuræ curiosum adplicans oculum, ab orantis pectore splendorem emitti, furtiuâ didicit diligentiâ. Hinc vitio gentis humanæ, scire peroptans quid monstri illud, aut vnde esset, rei veritatem ab eo cœpit velle extorquere; minitans etiam vulgaturum se quod viderat, nî protinus aperiret. Itaq; homo prudentissimus veritus minitantis indicium, simul & imperitæ plebis
iudi

iudiciũ, ordine aperit, cũ hâc tamen exceptione, vt commissa non proferret in publicum. Taciturnitatis insuper pretium addens, subuenturum se eius familiæ, vt nihil æternùm deforet. Cæterùm, tantam Numinis præsentiam sensiit famulus, vt qui antea in comparandâ dietim sedandæ fami cerere desudarat; exinde benigniore adflatus sydere, sibi suisque dormientibus bonorum tot Gargara adfluere, conscius in dies demirabatur. Labente tempore, Valentiæ Augustiniano hoc habitu donatus, vixit, obiit, sepultus est. Interpositis annis circiter decem scitâ quâdam ratione, *Carnarium*, quod vocant, apertum; vbi vitâ functorum ossa iacebant multorum. & inter eos vnius Melchioris. Ad spectaculum conuenerant Religiosi non pauci, & vnà F.* Ioannes de Archero præfati Defuncti quondam notissimus, & familiaritatis quâdam necessitudine iunctissimus. Ille haud immemor sanctitatis eius, vbi laxatam sepulchri

Adhuc viuit.

pulchri custodiam videt, raptum ex Hypogæo brachium clam in cubiculum defert. Inhærebant cartilagines temporis iniuriâ nondum excisæ. Scalprum itaque admouet, purganti manu has semouere tentans, cùm ecce ab ossis ariditate sanguinis erupit flumen:

Obstupuit, steteruntq́ coma & vox faucibus hæsit.

Et relictâ super strophium prædâ, sicut erat turbatus, è cubiculo irruēs de vicinâ cellâ * F. Antonium Rollin natione Massiliensem aduocat in spectaculum. Vocantem secutus, notansque os cruore natans, consternatus primò substitit, dubius anxiè quid ageret: donec accito R. loci Priore, Patribusque grauioribus, collata vndique corporis ossa Arcæ custodi conclusa sunt.

Agit nunc in prouinciâ Prouincia.

P. Sebast. Garzia. & P. Didacus Lopez Doctor. Theo. interfuêre.

Stupentibus hìc nobis & quasi interessemus, factum miratibus; subiecit: sub id tempus in eodem Conuentu nostro Reuerendissimi IACOBI DE VALENTIA cerebrum repertum

tum in cranio, ſanum, integrum, palpitans; corpore quamuis ab annis fortè centum, iam in cineres & natiuum lutum reſoluto. Pluria proferre parantes interturbauit tempus & hora lectionibus publicis dicata. Itaque facta vtrinque diſceſſio; ſeu, vt ego interpretabar, auulſio.

Quid ſuper auditis cenſes, mi Lector? Thomiſas, & dictionis ſponſores poſcis, aut vades: iure facis, & vt comicè loquar, morè. Maiora namque communi Fide quæ dedi. Sed oculatos teſtes dedi, quos vidi, quos allocutus ſum; Fide digniſſimos, ſi quos habet Fides. Equidem de Fratre illo incorrupto, cùm nuper apud virum magnum, Epiſcopum Damaſcenum & Lugd. Eccleſiæ Suffraganeum, paucis egiſſem, Io. B. Mantuani ſtatim mihi meminit: quē aliquando Mantuæ ad Templi penetralia ſub altari viderat corruptioni intactum, candidum, integrum. Porrò de ſanguinis & lachrymarum excuſſione, inauditum ſeculis nuperis

Relatu Reuerendiſſ. D. Roberti Berthelot.

ris fassus, vnicam adiecit caussam: MIRABILIS DEVS IN SANCTIS SVIS.

DISSERTATIO DECIMANONA.

Aduersus Calumniam insurrectum pro Scriptoribus nostris: eorum ANASTASIS *vulgata mentio: Dictus numerus: Præter adsignatos in eâ, alij à me recitati: & per occasionem, Prouinciarum, Congregationum, & Conuentuum Generalium nomina: Item de libro per me edendo, si faueat Deus.*

NONQVAMNE amica fœdera iungemus, & Mineruæ pacis hostias? Hostib. à domitis dici tales amamus: ideoq́, in mediis rebelli belli strepitib. moramur & immorimur. Quis credat in Musarum Circo dissidia, iurgia, vulnera, oriri, foueri, infligi? Pallas, olim, Agenoridæ Cadmo

mo profutura, cæli Serpentis ora soli imperat,

Ouid. Met. 2. *—motæq; iubet supponere terræ*
Vipereos dentes populi incremēta futuri.
ô litigiosum genus! nam continuò pereunt, & sese perdunt,

——— ——— suóque
Ense cadunt subiti per mutua vulnera fratres.

Nos sumus: &, vipereis orti dentibus, Mineruæ nothi non nati, in pectora cognata furorem exacuimus. Insolens progenies! nonquam cessat, semper lacessit: vt cùm de dissidiosis vnum euaseris, aut straueris, irruis in alium pugnaciorem.

Vsu hoc mihi venit: pedem namque de Prelio victorem, vt putabam, referenti; meosque Augustinianos triumpho parto reducenti, nescio quis ex aduersâ turbâ, cœpit exprobrare agminis nostri desidiam, quòd vnicus in illo gladium (calamum dico) strinxisset: & præter Romanum Ægidium, Mineruali Ægide fortiter vsum antehac nullum: sociorum insuper

ſuper ſuorum turmam, *Seminarium* bellantium vociferatus. Goliathæ illi Dauid ego monomachiam parabã, ſingulare certãmen initurus, donec collectis paulatim, & digeſtis per Decurias militibus in comitatu prodirem. Sed illi aberant longiùs, quàm vt paucis horulis aduocari poſſent. Aduocati tamen à Coloniis noſtris Longobardiâ, Romanâ, Marchianâ, Anconitanâ, Franciâ, Caſtelliâ, & Arragoniâ milites confluxêre. Manus ſocias contulit Portugallia, accito Indiæ orientalis Vicario: Quibus adiuncti Veneti, Aquitani, Romandioli, Vmbri, Bauari, & Neapolitani. Certè non Burgundiæ, Siciliæ, Piſanæ, Senarũ opes defuêre: non Terræ Sanctæ, aut Apuliæ; non Prouinciæ aut Calabriæ. Ipſos quoque Polonos, Sueuos, Vngaros, adiunctis ſibi Anglis & Hybernis, Saxonibus & Sardinis, quis veniſſe credat? Quis Mexicanos denique aut Perutianos, Philippinis comitãtibus, concurriſſe? Congrega

Prouincia noſtra 35.

Congregationes 4. Conuentus generales 24.

gregati insuper, diuerso cœlo, Socij, cuneos nouem struxêre: & ad bella versatissimos è viginti & quatuor Familiis nostrorum Ducum Dux misit, Cataphractos aut Triarios omnes, omnes ad arma versutissimos. Solum mihi residuum Belgium expectabatur: & ab eo si quos Mineruali huic militiæ nomina dedisse audieram. Cùm ecce Prouinciæ illius Præfectus, à Coloniâ suâ Decurias emisit armatorum triginta quinque; plures etiam pollicitus si non conueniret pugnacissimorum hominum numerus.

Vides quò vergam, Reuerende mihi in Christo P. Gratiane: ANASTASIS vestræ memini, quæ Antuerpiâ ad manus mihi & oculos venit Kalen. Iulij. Gratum spectatumq́ue opus, etsi non expectatum. Dicam enim, tuâ annuente gratiâ, iam æui nostri Scriptores omnes coaceruaram, & in hanc *Dissertationem* reseruaram, *Pamphili Chronicis*, quod promisi, daturus Supplementum. Præoccupasti nec sciétem nec

ſentientem. O ſemper à talibus præueniar, & canente te Apolline, Paniſem! Lectorem tamen loquentem precaris, qui omiſſa liberè in medium conſulat: ſed demeſſuiſti ita vndique omnia, vt manipulus vix ſuperſit aliquis colligendus non collectus: tentabo tamen ſi qui occurrāt Scriptores à vobis haud ſcripti: & primò quidem quæ ſcripta, poſtmodum quæ Scriptorum promiſsò expectanda, paucis expectorabo.

Ioannes Sapata, natione Indus, parētibus Hiſpanis, profeſſione Theologus: nuper in Academiâ Mexicanâ annis duodecim, modò Valliſoleti in Caſtilliâ magno adplauſu docens: ſcripſit *in primam partem D. Thomæ.*

Raphael Perrerivs Italus, Thuringiæ Prior, ſacræ Theol. Lector & Cōcionator nominatiſſimus, *Opus Theologicum* emiſit in vrbe prȩfata editum. Inſuper, *Donum pretioſum panis S. Nicolai Tolentinatis* ibidem anno ſuperiori, Fratri Bartho-

lomæo

LOMÆO FALCOMBELLO dicatum iuit. Meritò: vir ille magnus est, S. T. D. Congregationis Lombardiæ Vicarius, & Conuentus Romani *de Populo* Prior: quem pluscula scripsisse significatum habeo, etsi hæreo in nominibus.

R. F. ALVIS, Hispanus, nuper Societatis IESV Presbyter & Professor Theol. Vallisoleti: ab sexquianno Eremiticam S. Augustini vitam professus Romæ: vulgauit *de Iure & Iustitia* tomos insignes; item *in Dialecticam*, & alia pluria edidit, pluria editurus quæ sub calamo iam nata lucem publicam propediem visura. Qui modò beati Ignatij Pater, nunc Sancti Augustini Frater (ô modestum nomen!) esse maluit,

—— *Non inferiora secutus.*

IOANNES CHAVREVS Salamanticæ Prior, S.T. Doctor, & Concionator egregius, *Panegyricos* in beatificationem P. Ignatij publicè dixit, & scripsit.

GVILLELMVS NIGER, Gallus Rhotoma-

Rhotomagensis S. T. Baccalaureus pro priuilegiis Ord. librum impressit Parisiis. Alia illum habere prælo parata certò sçio, an edenda, nescio.

OCTAVIVS MANFREDI, seu, vt malunt alij, OCT. MANFREDIVS, natione Cremonensis, Conuentus Lugdunensis alũnus, & nuper Prior, S. T. D. Concionator ad inuidiam magnus, talísque hodie Venetiis habitus: præter adsignatam *Orationem*, deuotum prælo volumen habet; cuius ideò nomen taceo, ne indicium Authori suo ingratum maneat: & alienis interuenire secretis periculosum noui. Aliquid interea magni expectabo ab eo, cuius AMOR AVCTVS IN FIDE: plebeium namque sapere nihil potest is, cui cohæret perpetim VNA FIDA COMES VIRTVS. *Anag. 2. Domini R. Gros à S. Iorio.*

PETRVS RABI natione Prouincialis, domo Auenionensis, S. T. D. iamdudũ *Siluam Poëmatũ*, Lugduni edidit sermone patrio: hodie pluria & grauiora Parisiis sub prælo tenet.

M

Ab Antonio Polono, qualia insinuaui, sed non ante proximũ Capituli Generalis cõgressum. Forsitan & à Basilio Poncio De leon, nî ad maiora calamum conuertat. A talibus quid nisi talia speremus? id est, à magnis summa? Auũculi huius encomia præclarè canit *Anastasis*. succinam ego, Tumuli Ecphema Salamanticæ nuper exscriptum proferens:

Magister F. Lvisio De Leon Divinarvm Artivm et trivm Lingvarvm Peritissimo. Sacrorvm Librorvm primo apvd Salamanticenses Interpreti. Castellae Provinciali. Non ad memoriam Libris immortalem, sed ad tantæ iactvræ solativm, hvnc lapidem a se hvmilem, ab ossibvs illvstrem Avgvstiniani Salam. P. Obiit an. M.D.XCI. Avgvsti XXIII.

XXIII. ÆTAT. SVÆ LXIIII.

Cæterùm vbi Concionatorum nostrorum scripta, quibus sese Regum & Imperatorum iactant aures & Curiæ? Vbi ALPHONSI AB OROSCO? huius, fateor, extant præclara, non omnia. Contentus, nempe, vir sanctus, pia & animæ salutaria vulgare, doctissima quæque tenebris inuoluit: & Caroli Quinti ac Philippi II. auribus digna, luce forsitan indigna iudicauit. Huius laudes canit Pamphilus, ego tonabo: Doctissimum nominat, Sãctissimum vocabo; qui non miraculis tantùm insigniri, sed & CORPORIS CHRISTI V. SACRAMENTO Angelorum manibus refici meruit. Quem non illexit ab extremis Hispaniæ finibus in adspectum sui? Quoties Philippus ipse tanti Regni caput, Dynastarum comitante catervâ, in colloquium venit? cùm interim ISABELLA Clara Eugenia, Heroynarum vallata grege, Cellulam clanculùm ingressa, S. Fra-

tris lectulum sternebat, ipsissimis illis manibus quæ Sceptro fortè gerendo deputabantur. O Belgio nostro diu viue; & in eo, tanti Fratris Fratres foue! Sanè cùm vitâ excessisset: (anni præteriêre duodecim) tantus populi Madritensis in Conuentũ nostrum S. Philippi factus concursus est; vt nec claustra, nec prægrandis Templi parietes, cedẽtium euntiumque fluxus ac refluxus toto triduo caperet; valuis vndique noctu diuq; patentibus.

Prætercam ego te CASTRO-VERDE; à fonte diuino Flumen Suadæ; Fulmen Curiæ, Ordinis Lumen, supernum Flamen? Hic Philippo III. Orator & Concionator primarius, cùm ante tres annos Madriti occidisset, tota luxit Aula, tota luxit Hispania. Rex ipse, fato audito, in adstantes conuersus Principes, collacrymans dixisse fertur: *EL Predicador del Rey; y el Rey de los Predicadores es muerto. Regis Prædicator & Prædicatorum Rex mortuus est.*

eſt. Scripta eius vbi ſunt? nonquid ſuperſunt? aruit Flumen? ſolutum Fulmen! extinctum Lumen? totumque reſedit Flamen? minimè; vbi vbi; fluit, micat, lucet, ſpiratque: ſed vt effluat, emicet, eluceat extráque ſpiret vouemus.

Et te cum illo, Præſul maxime IOANNES A CASTRO; quem à pulpitis egreſſum Regiis, nouæ Granatæ Regna Archiepiſcopum habuêre. Reſtat vt Xenophontis gratiam quis habeat; & iſtos Thucidides proferat ac diuulget candidâ & ab omni æmulatione vacuâ manu.

Fuêre illi, ſuperſunt alij: Reuerendiſſ. MONNATONES, nec non PETRVS DE RECHAS: ille Socorbenſis, hic Auſturicenſis, Epiſcopi. Fallor; vixêre & illi; ſed ſuperat HENRICVS ERICIVS Placentiæ Antiſtes; ſed viget valetq; PETRVS MANRIQVEVS Saragoſſ. Archiepiſcopus. viuunt, & honoribus virtute partis fruuntur poſteri eorum aliquando ſcriptis. Iactemus

nos Augustiniani, primarios orbis viros habemus, si de scientiâ sermocinandum. Nam quæ hodie inter primas Academias prima? Salamanticā norunt, qui aliquid norūt: & in eâ Augustinianos primos, selectissimósque quis nescit? Inuidiam hîc mihi comparabo; nam & in illam penè nuper incidi, cùm apud virum eximium Doct. Theologum Dom. Fontanum, patriâ suâ Lugduno in Hispaniam parantem pergere, talia & alia liberiùs dixissem. Verùm, rei veritatem testis ipsusmet vidés; hisce verbis ad me rescripsit: *Tua sententia vtrâque manu subscribo, mi Prosper, etiā maius aliquid iungo. Tu namque primarios dumtaxat celeberrimæ vrbis Theologos dicebas, Orbis ego audeo iactare. Et si quando mea me Francia reducem habeat*, AVGVSTINIANVM NOMEN QVASI NVMEN, *si quid in me potis est, in astra tollam & leuabo. Vale, Sala.* Et ipse valeat, vigeatque.

Porrò ad Scriptores meos regredior.

dior. Datis dādiſq; maiora pollicētur multi; nec enim dubiū à multis multa in Muſæis reſeruari, & ad tēpus reſerari. Hominū dicacitatib. terrētur pluſculi: negotiis variis diſtrahuntur non pauci: plerique noſtra damnamus; iam iamque in publicum abiturientia retinemus. Egomet exemplo mihi. Abſit verbo iactantia: inceptum in Germaniâ Opuſculum ad coronidem Bruxellæ deduxi, inter fractas vitreas & ſtrepitus ſcholares: quod cùm vidiſſet S. T. Magiſter Nicolaus Rebbius, vir in quo non eruditio ſolùm varia, ſed & in literatos candor multus; ſubſcripſit: *Perlegi hunc libellum; & ob elegantiam ſtili, & doctrinæ moralis in eo contentæ, dignum iudicaui, qui ad deteſtationem Calumniæ, lucem aliquando videat.* Ruſumque Dominus Petrus Vinck S.T. L. & Cenſor ordinarius addidit: *Libellus hic cui nomen: Proſperi Stellartij Lingulacarum Oraria: cùm nihil cōtineat Fidei aduerſum, ſed inſignem moralem doctinam, vtiliter*

Scriptores multi, ſcripta pauca: & quare.


typis mandari poterit. Actum Bruxellæ, 10. Septemb. Anno 1611.
Dudum paratus, tardiùs prodibit. Non equidem, quia

Lupi Mœrim vidêre priores:

ſed quòd certò promittere vetat languor qui me nunc habet. Neſcio enim, mi bone lector, quidnã purgamenti calcarim in triuio, ita aduerſatrix mihi Hygeia; ea ne in Italiam iter intercludat meum, metus eſt. O mihi in illâ viros magnos, qui vel adſpecti poſſint prodeſſe! Tu inter eos, Reuerẽde admodum Pater COCHEE ſcriptorum flos illibate. Hominem te in ſcriptis magnum agnoui, præclarè ſcripta ante hominem vidi: Aliquando ſcripta, ſcriptorem præſentem præſens agnoſcam, & Florentiæ florentem videam! Non, niſi doctior, auellar à tantâ Tripode

Et qualis adſpectu veſtro, REVER. Pater, I. B. DE ASTE, proſapiâ inclyte, magni Patris Imago, Ordinis Eremitarũ Atlas, noſtri cœli Sol; qui zodiaco Romano quamuis immobilis,

bilis, ſplendores hinc inde ſpargis: & micantia Hemiſpherij noſtri ſydera incendis, quoquò incedis. O ſi ad dexterę libamen ſaluus venio, quantus ſum!



DISSERTATIO VIGESIMA.

Coronis, & concluſio operis: AVGVSTINVS *in exemplar vitæ propoſitus: Ad obſeruantiam* REGVLÆ *fida manuductio: Eius facilitas monſtrata: Et tandem pro* ORDINE *noſtro Prophetia quædam.*



A Carceribus ad metas veni:
Et iam tempus equûm ſpumantia ſoluere colla.

AVGVSTINOMACHIÆ meæ quiſquis ſpectator adſtitiſti, antequam de circo pedem referas, tria verba audi: tu præſertim, voto qui

mihi Frater es. *Accipe quidem vtilem & salutarẽ clausulam, quam te adfigere animo volo. Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, vt sic tanquam illo spectante viuamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus: Magna pars peccatorum tollitur, si peccatorũ testis adsistat. Aliquem habeat animus, quem vereatur; cuius auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat: O felicem qui non aspectus tantùm, sed etiã cogitatus emendat! ô felicem, qui sic aliquẽ vereri potest, vt ad memoriam quoque eius se componat, atque ordinet! Qui sic aliquem vereri potest, citò erit verendus. Elige itaque, elige eum,* (quem nisi magnum AVGVSTINVM intellegam?) *cuius tibi placuit & vita & oratio; & ipsius animum ante te ferens & vultus,* (nam Habitum geris) *illum semper tibi ostende vel custodem vel exemplum. Opus est, inquam, aliquo, ad quem mores nostri seipsi erigant. Nisi ad* REGVLAM *praua non corriges.* O Regulam facilem!

Seneca Epist. 11.

ſem ! Non vult ille rigidam illam Stoicorum vel Cynicorum frontem conuenire. Vnicum inculcat : *Sit vobis anima vna & cor vnum in Deo.* *Aug. in Reg.* Planè, moribus antiquis, ſine fuco aut faſtu. Via Auguſtiniana, Via Regia. REGVLA illa noſtra quò me regit ? quò te dirigit ? ſine ambage, ad Virtutem. *Nempe propoſitum noſtrum eſt ſecundum naturam viuere. Non ſplendeat toga, nec ſordeat quidem. Id agamus vt meliorem vitam ſequamur, quàm vulgus, non vt contrariam.* Sen. Epiſ. 5. Vulgum tamen deuita: ama latere : te ipſo contentus eſto: aliis proſis, ſed tibi viue : turbam ſemper fuge : nonquam illi te tutò cõmiſeris. *Inimica eſt multorum conuerſatio. Nemo non aliquod nobis vitium aut commendat aut imprimit, aut neſcientibus allinit. Vtique quo major eſt turba cui commiſcemur, hoc periculi plus eſt. Auarior redeo, Luxurioſior, Ambitioſior, quia inter homines fui.* Idem Epiſt. 7. Vnicâ cõuerſatione tria cõfundis VOTA, aut infringis. Auaritiem fuge, ſi

Idem E-pist. 2. sapis, immò vt sapias. *Honesta res læta* PAVPERTAS. *Illa verò non est Paupertas si læta. Cui enim benè cum Paupertate cōuenit, diues est. Non qui parum habet, sed qui plus cupit pauper est.* Quis nescit? *Melius est* Aug. in Reg. *enim minus egere, quàm plus habere.* Luxuriem Veneremque fuga. *Car-* Idem. *nem domato abstinentiâ escæ & potus, quantùm valetudo permittit.* * Sen. Epist. 8. *Hanc ergo sanam & salubrem formam vitæ tene, vt corpori tantum indulgeas, quantum bonæ valetudini satis est. Duriùs tractandum est, ne animo malè pareat. Cibus famem sedet, potio sitim extinguat. Panem & aquam Natura desiderat; Nemo ad hæc pauper est.* Idem Epist. 25. *Integra quæ quisquis desiderium suum claudit cum ipso Ioue de felicitate contendat.* Ambitionem, quod restat, seclude: & inter Superū Superiorumq; manus Velle tuū include: quidquid voles obtinebis. Vin' honores? age, vltrò te ambient, illos si non ambis; fugientem sequuntur, sequentem fugiunt. Libertatem adpetis? contin-

get

get illa si Religiosus es. Solus Sapiens liber est; omnes mali, Serui. *Quid est enim libertas? potestas viuendi vt velis. Quis igitur viuit vt vult, nisi qui recta sequitur? qui gaudet officio? Cui viuendi via considerata atque prouisa est? qui* REGVLÆ, *non propter metum, paret? qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denique nisi libenter ac liberè?* id est, religiosè. Ecce quot dominos effugies si vnicæ Obedientiæ iugo colla submittis. Miserum mancipium, si liberam hanc & liberalem excutis Seruitutem. Tu tantùm pare: & quoquò te vertunt qui supra te curant, cura currere. Quomodo hoc fiet? Epictetum audi, & sequere præeuntem; religiosè ducit: *Constitui & conformaui voluntatẽ meã diuinæ. Vult me febricitare? & ego volo. aliquid adgredi? volo. potiri? volo. non potiri? nolo. mori? volo. Quis iam igitur prohibere me aut cogere præter voluntatem potest? non magis quàm ipsum Deum.* O vera, ô firma Libertas, obedire Deo! Nos imitemur: &

Cicero.

Epictetus.

serió

seriò simus, quod sumus, vt quod non sumùs, simus. Maturè sternanda via Gloriæ ingenti, quæ postremis hisce seculis Augustinianum institutum vallabit. Tollemur humo, & inter aëra glorificum caput recondemus: *Surget Ordo qui videtur nouus & non est. Induti nigris, & desuper accinctι zonâ pelliceâ, crescēt & fama eorū diuulgabitur: & prædicabunt Fidem, quam & defendēt vsque ad consummationē seculi, in virtute & spiritu Eliæ**. (Quisquā hoc sibi præter nos arroget? vetat Author idem dum addit clariùs) *erit* ORDO EREMITARVM ÆMVLANTIVM IN TERRIS VITAM ANGELORVM: O tales, ô tales simus! & à magno Sanctoque Parente AVGVSTINO, magni Sanctiq; AVGVSTINIANI euadamus!

Prophetia Abbatis Ioachimi.

* *Id est, Dei Domini.*

VOVEO.



SYLLABVS DISSERTATIONVM:

Quem eo fine subiecimus, vt vnico adspectu habeat Lector totius operis filum & contextum.

LIBRI PRIMI, DISSERTATIO I.

DIS.

Mona

LIBRI II.

vitæ propositus: Ad obseruantiam Regulæ fida manuductio: Eius facilitas monstrata: Et tandem pro Ordine nostro Prophetia quædam. pag. 273.

FINIS.

